3

M. DANIELIS FRIDER. IANI,
SCHOL. TORGAVIENS. CONR.

DE

FATIS DEDICATIONVM LIBRORVM,

SIVE

Von denen Zuſchrifften derer Gelehrten/

DISSERTATIO HISTORICA ET LITTERARIA.

VITEMBERGAE
APVD SAMVELEM HANNAVERVM.
CIↃ IↃ CCXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DE FATIS DEDICATIONVM LIBRORVM.

NOn negandum eſt, quod qui librum luci publicae exponit, de eo etiam cogitet, vt eum viro, cuiuſcunque nominis et dignitatis ſit, illico inſcribat. Veteres hoc in vſu habebant, vt, ſi quem librum compoſuerant, amicum aut patronum circumſpicerent, cum quo de eo communicare ſolebant: quo facto, epiſtolam ad eum exarabant, eamque vna cum libro transmittebant. Haec vero poſtea deſcribebatur, in qua eae plerumque circumſtantiae adferebantur, quae multum ad hiſtoriam libri faciebant. Atque ex eo tempore dedicationes originem habuerunt; quod argumentum erudite tractauit vir de Gymnaſio Coburgenſi praeclare meritus, Io. Conradus Schvvartzius, in ſchediaſmate de illuſtrando et poliendo Palladio, rei ruſticae ſcriptore. Fateor autem, varios eſſe modos, quibus clientes vtuntur, quorum alii amplificatorem ſtudiorum quaerunt, vt nomen a calumnia aliorum, et obtrectatione inuidorum vindicet: alii ſedulo id agunt, vt aliorum gratiam aucupentur, ingeniique dotes, quas habent, manifeſtent: alii offerunt librum, et dum hoc faciunt, grati animi ſigna de ſe produnt: alii denique acceptis verbis, loquendi formulis, laudum praeconiis eos extollunt, quibus dedicatio facta eſt, eisque aut donum aut munus ambiunt. Ex aduerſo autem multi exſtiterunt, qui dedicationibus neque honores neque opes quaeſiuerunt;

runt; cum tamen non deſint, qui inopinantes munus et laboris praemia conſecuti, et nobilitate donati ſunt. Quot autem eorum reperiuntur, qui cupiditate pecuniae adducti, inclareſcendi ſtudio, amicitiae, mendicandi cauſſa, libros et quemcunque ingenii foetum, Euergetis conſecrarunt? Sunt etiam, qui rogati ne vlli quidem viro quidquam obtulerunt: eosque memini, quibus res male cecidit, et dedicationes Maecenatibus valde ingratae fuerunt. De his igitur dedicationum cauſſis, et quae fata illae habuerint, ex hiſtoria litteraria diſſerere animum induximus.

II. Equidem Latinis veteribus in more poſitum erat, vt libros ſuos Conſulibus et Imperatoribus conſecrauerint. Sic enim accepimus, VELLEIVM PATERCVLVM hiſtoriae ſuae opus M. VINICIO inſcripſiſſe, de quo V. C. Henricus Dodvvellus in annalibus Velleianis, *ingenii*, inquit, *has primitias in gratiam Vinicii conſulis emiſit Velleius, ipſo eius conſulatu, annoque adeo Varriano ɪɔccʟxxxɪɪɪ. Mos enim erat eis temporibus pracipua quaeque amicorum patronorumque gaudia muneribus offerendis gratulari. Quae autem alii donis, ea ſcriptis celebrabant poetae atque oratores. Hinc et ſcripta vtroque ſermonis genere tam metrici, quam etiam ſoluti. Praecipue vero mos ille receptus eſt in celebrandis conſulatibus.* Neque dubium eſt, quin Romani etiam amicis libros dicauerint, cuius rei fidem facit Cicero, qui Marco Bruto, ſibi amiciſſimo, perfectum oratorem, Tuſculanas quaeſtiones, et libros de natura Deorum, et paradoxa conſecrauit. Quae vero, cum ad inſtitutum noſtrum non pertineant, dum non de veterum Latinorum, ſed de recentioris aeui dedicationibus diſſertamus, lubens praetereo; Benevolum autem Lectorem, qui has antiquitates cognoſcere cupit, ad Io. Georgii VValchii, viri doctiſſimi, diatriben de dedicationibus veterum Latinorum, quae incomparabilis viri Chriſtophori Cellarii, Praeceptoris noſtri deſideratiſſimi, epiſto-

Digitized by Google

epiſtolis ſelectioribus et praefationibus praemiſſa eſt, remitto.

III. Reperiuntur nonnulli eruditorum, qui nullis pollicitationibus muneris, beneficii et pecuniae eo adduci poſſunt, vt aliquod ingenii monumentum illuſtri viro conſecratum velint. Eorum in numero cenſendus eſt PETRVS BAYLIVS, Roterodami clariſſimus hiſtoriarum & philoſophiae Profeſſor, qui libris ſuis exquiſitae doctrinae, humanitatis, politiſſimi iudicii et elegantiarum, tantam nominis auctoritatem conſecutus eſt, vt vix inter Gallos ſit, qui ei anteferri; pauci, qui cum illo ex aequa ratione comparari poſſint. Praeter excerpta rei litterariae, quae maximam laudem merentur, et cogitationes diuerſas in Cometam, edidit etiam dictionarium hiſtoricum et criticum, in quo eruditi ordine alphabetico recenſentur, et de eis eorumque libris elegantiſſime iudicatur. Cum igitur auctor multum curae, ſtudii et laboris huic operi impenderet; de eo autem *nobilis* quidam, non infimae ſortis, fando aliquid acceperat: praeterea coniecturabat, fore, vt illud ab eruditis in magno pretio haberetur; obnixe rogabat, vt tam praeclarum opus ſibi ſuoque nomini dicaret, atque conſecraret. At vero id, quod cupiebat, ab eo impetrare non potuit. Clariſſimi Auctores actorum eruditorum, dum menſe Martio CIↃIↃCCXI librum, diuerſes penſées ſur la Comete dictum, et anglice Londini CIↃIↃCCVIII translatum recenſent, e vita eius, quae huic verſioni adiuncta eſt, optime obſeruant, quod inter ſingularia Baylii referendum ſit, eum a dedicationibus animum adeo alienum habuiſſe, lucrique minus appetentem, vt, cum ipſi a nobili Anglo, in praeclara auctoritate conſtituto, ingens pecuniae ſumma, praemii loco, proponeretur, ſi tam illuſtris viri nomini dictionarium inſcriberet ſuum; numquam tamen, vt faceret, adduci potuerit.

IV. Progredimur ad BENEDICTVM SPINOZAM, maledictum illum hominem, qui gente iudaeus, iudaicam religionem deſeruit, et ampleſtendo chriſtianam, ſpeciem pietatis et Chriſti venerationem, non ſine iactura ſalutis perennis, praebuit. Fundamenta Spinoziani Atheiſmi attingere, omnesque eius libros hoc loco conſignare, a noſtro propoſito alienum eſt, quippe quae ſingula aliunde cognoſci poſſunt. Quod vero ad noſtrum inſtitutum attinet, Spinoza a dedicatione librorum abhorruiſſe videtur. Huic enim *Princeps Gallicus* certam pecuniae ſummam quotannis pollicebatur, quae ei e reditibus Gallorum Regis ſoluenda eſſet, ſi ſuo nomini vnum e ſuis libris conſecraret. Tantum vero abfuit, vt oblato beneficio Regis frueretur, vt potius id omni ratione a ſe declinaret. Conſule celeberrimum D. Io. Franciſcum Buddeum in append. Lexici vniuerſ. hiſtor. pag. 37.

V. PETRVS VICTORIVS, Italus, in tanta celebritate Florentiae verſabatur, vt magnus ad eum concurſus vndique fieret. Varios commentarios in rhetores, poetas, philoſophos edidit, cumque rhetoricam typis publicis exſcribendam curaret, fieri non potuit, vt *Presbytero* cuidam eam dedicaret. Audiamus Io. Imperialem e muſeo hiſtor. pag. 158 ita diſſerentem: *Neque pariter vllum vel emeriti lucri commodum ſibi cordi eſſe tunc oſtendit, cum bis aureorum millia ſibi a nobili quodam oblata presbytero, vt rhetoricae volumen typis recuſum eius inſcriberet nomini, conſtantiſſime reiecit.*

VI. Alia vero ratio eſt, cum eruditi dubitant, labores ſuos principibus conſecrare, ſi aut typi detriti ſunt, aut charta tam vilis, vt magis in negligentiae et deficientis iudicii notam apud Maecenates incurrant, quam eorum amorem gratiamque ſibi concilient. Hoc contingebat iam laudatiſſimo CHRISTOPHORO CELLARIO, cum Eutropium MAVRICIO GVILIELMO, Saxonum Duci Principique dedi-

dedicaret. Hinc in adlocutione ad Muſas Cizenſes: *Non erubeſco*, inquit, *materiam, quam excelſo eius ingenio ſemper ſcio gratam atque etiam iucundam eſſe: habitus autem libri externus, quia non is eſt, qualem volui, ſed quem typographi neceſſitas detritis typis nec charta induxit puriſſima; erubeſco ſerenis illum oculis tam φιλοκάλε principis ſubiicere, quantamcumque etiam curam induſtriamque in emendando adhibui;* et quae ſunt reliqua.

VII. Inueniuntur autem nonnulli, qui dedicationes viro erudito indignas eſſe iudicant. Ex horum cenſu praecipuus nobis Io. VVouvverus videtur, qui ritum aliis ſuos nuncupandi libros pro re inepta habuit. vide Reimmanni Verſuch einer *Critique* über des Baylii Diction. pag. 85. Eſt enim bonus ille vir in hac ſententia. In dedicatione auctor quidam alloquitur aut eos, qui nobis ſunt ſuperiores, aut inferiores, aut aequales. Qui nobis dignitate paullo ſunt inferiores, eiusmodi conamine litterario non indigemus, cum ſponte amicitiam ſibi noſtram praeoptent. Deinde is ſui oblitus eſſe cenſetur, qui ſe plus aliis ſubmittit, quam dignitas ipſius patitur. Si nobis ſunt aequales, res non ſine animi ſubmisſione ſuccedit, quae in aliorum vituperationem incurrit. Sin autem ad ſuperiores, hoc eſt, ad Reges et Principes reſpicimus, neque hoc fieri poteſt ſine ſuſpicione ambitionis aut auaritiae, quae liberales homines dedeceret. At vero huius CL. viri rationes ita ſunt comparatae, vt facile ad eas reſpondere poſſet, ad easque reſponderemus, ſi inſtituti ratio permitteret, nec alia nobis agenda eſſent. Quid? quod ipſe doctisſimus vir conſuetudini hac in re aliquid dedit, et Scaligero dedicauit Petronium; mirorque, quod illum eruditorum morem ineptum iudicauerit. Cur vero eruditi viris illuſtribus ac principibus libros ſuos conſecrent, varias vtique cauſſas habent, quas alii ex parte celant, alii ſatis

ſatis clare manifeſtant. Ioannes Riuius, celeberrimus Philoſophus ac Theologus, cuius ſcripta vbique, vt par eſt, eximie laudantur, cum quis ex eo quaereret, cur ea principibus aut aulicis potiſſimum inſcriberet, reſpondit: *primum obſeruantiae cauſſa id merito fieri: praeter ea recte fieri, quod ipſi talis doctrinae atque admonitionis in grauiſſimo et difficillimo vitae munere, et in tam variis actionibus vehementer indigerent.* Vide Riuii vitam a Georgio Fabricio deſcriptam, et cuius memoriam Chriſtianus Fridericus, VVilliſchius, Gymnaſii Altenburgenſis Director clarisſimus, Fautor et Amicus noſter integerrimus, renouat in incunabulis Scholae Annaebergenſis pag. 22. Dedicationes non plane ſunt reiiciendae, nec inutile negotium is ſuſciperet, qui raras tam antiquorum, quam recentiorum ſcriptorum nuncupationes, quae prae aliis lectu et notatu digniſſimae ſunt, in corpus colligeret, eaſque cum orbe litterario communicaret. Solent enim in iis, vt magni in re litteraria viri Dan. Georg. Morhofii verbis vtar e polyhiſtore lib. I. cap. XXIV, cumulari floridi ſtili argumenta, enthymemata encomiaſtica, quorum praecipuus in orationibus panegyricis vſus eſt; ne quid dicam de vſu illo in argumentis librorum quaſi ſummaria notitia cognoſcendis. Praeterea in dedicationibus haud raro circumſtantiae de viris eruditis (α) proferuntur, quas alibi fruſtra quaerimus: Singularia (β) deprehendimus; de meritis Princi-

(α) Hoc abunde manifeſtum eſt e *Nicolai Storchii* exemplo, qui Anabaptiſtarum fax et tuba erat; de quo *Chytraeus* in dedicatione Apocalypſeos refert, *quod Monachi in Bauaria metu et dolore animi miſerrime perierint.*

(β) *Antonius Malagonellus*, Florentinus, perſonam hortulani induebat, & cum Romanus Pontifex Innocentius XII. in hortum exſpatiaretur, et ex eo quaereret, quid incolae de Pontifice iudicarent? reſpondebat perſonatus hortulanus: valde laudari, ſed eius mores reprehendi,

Principum eorumque propenſa voluntate, (γ) de illuſtrium virorum ſtudiis (δ) ſermo eſt; librorum titulos (ε) exinde intelligimus, miras ſubſcriptiones (ζ) videmus; conatus litterarios (η) agnoſcimus; etiam in eis obiter (ϑ) argumentum tractatur, quod vberius deduci poteſt. Vt ceterum

B

quod artem ſimulandi non didicerit, nec poſſet aulicis fraudibus reſiſtere. Quod autem Malagonellus fuerit hortulanus, dedicatio ſecundae orationis ad Principem Florentinum *Franciſcum Mariam Mediceam* manifeſtat, ex qua relegi poſſunt, quae ad hanc hiſtoriam ſpeciatim pertinent.

Petrus Iarrigius Ieſuitam in feriali pegmate Lugd. Bat. CIƆIƆCLXII dedicauerat *Belgis Foederatis*, atque in dedicatione de Ieſuitis iudicauerat, *illos non magis in eorum prouinciis tolerandos, quam tyrannos et veneficos eſſe.*

(γ) *Ioannes Friderici*, cuius Liturgia vetus et noua Ienae CIƆIƆCCIV prodiit, praedicat in dedicatione ad *Saxo-Ducem Cizenſem*, quod eum ad hoc opus edendum excitauerit, eique e ſua bibliotheca Caſſabutium, vt eo melius illud opus perficeretur, communicauerit.

(δ) De comitibus illuſtribus, qui poëtae fuerunt, artemque poëticam magni fecerunt, egit S. Reu. *G. Serpilius*, cum generoſiſſimo *Comiti de Geyersberg* Salomonem Ratisbonae CIƆIƆCCXV dedicaret.

(ε) *M. Cyriacus Spangenbergius* edebat Erfurti CIƆIƆLXIX Citharam Lutheri, et in praefatione partis I, quae ſimul dedicationem continet ad *Comitem de Lippe*, cauſſae referuntur, cur hunc librum Citharam Lutheri appellauerit.

(ζ) *Paulus Felgenhauerus* in informatorio catechetico, poſt dedicationem, ſe vocat *Paulum in gratia Dei.*

(η) *Iacobus Tollius* in dedicatione fortuitorum ad Sereniſſ. Principem *Fridericum* Marchionem Brandenb. fatetur, ſe animum induxiſſe, non modo Lucretium ac Longinum, ſed etiam Salluſtium, Florum, Phaedrum, Artemidorum adnotationibus illuſtrare; cuius rei cauſſa iter ſuſcepiſſet, vt cum Budenſem, tum alias praeſtantiores bibliothecas perluſtraret.

(ϑ) *D. Chriſtian Krumbholtz* edebat CIƆIƆCCIX Evangelicorum Proteſtan-

rum taceamus, quod haud raro in dedicationibus cauſſas conſpiciamus, cur auctor huic vel illi librum, (ι) inſcripſerit, quae conditionem ſcriptoris et genium (κ) aliaque nobis aperiunt.

VIII. Quamuis quidam fuerunt, qui nemini conſecrare librum, aut conſuetudini aliquid dare voluerunt; ſunt tamen alii, qui ſcripta quidem ſua Principibus et viris illuſtribus conſecrarunt: at vero dedicationibus ſuis neque honores, neque praemia quaeſiuerunt. Cum IANVS GRVTERVS, vir doctrina, ingenio illuſtris, et feliciſſimus antiquitatis ſcrutator, opus ſuum de Inſcriptionibus Romanis, RVDOLPHO Romanorum Imperatori dedicaret, illud-

tium verum, Papaeorum, ſeu Romanenſium falſum Catholiciſmum; quod ſcriptum *Friderico* Duci Gothano dedicauerat, vbi merita Erneſtinae Domus in propaganda Euangelico-Lutherana doctrina, vt aequum eſt, mire praedicat.

(ι) *D. Iacobus Horſtius*, Iulii Principis Brunſuicenſ. & Luneburg. Archiater, in Academia Iulia Profeſſor clariſſimus, precationes Medicorum pias Helmſtadii CIↃIↃLXXXV edebat, ad quas eum ipſe princeps exhortabatur, in primis cum animaduertiſſet, quod medici ſuas lectiones ſine precibus ad Deum inchoarent & finirent. E dedicatione, quam Horſtius ad hunc Ducem praemiſit, ipſa auctoris verba recitabo: *Nam*, inquit, *cum Celſitudo Veſtra mihi coram diceret, ſe maiorem pietatem in publicis praelectionibus Profeſſorum, in primisque precationem piam initio et in fine praelectionis deſiderare, Celſit. Veſtrae et pietatem inſignem ac candorem ſummum ego admirabar, ac precationes pias medicorum, nunquam antea editas, non ingratas fore, putabam.*

Illuſtris *Ezechiel Spanhemius* iuris publici Romae A. CIↃIↃCLXIV diſſertationem de vſu et praeſtantia Numiſmatum antiquorum faciebat, et ad eam edendam excitabatur a *Chriſtina*, Regina Sueciae, quam ſingulis hebdomadibus conueniebat, vnde Reginae hoc opuſculum deinde conſecrabat, id quod vberius ex ipſa dedicatione cognoſcitur.

(κ) *Ianus Brouckhuſius* in dedicatione ſuorum carminum, quae Traiecti ad Rhen. prodierunt, aperte fatetur, ſe bonam partem haec carmina ſub pellibus concepiſſe, aut in ipſo tumultuoſo maris aequore.

Digitized by Google

illud tam benigniſſime ſuſcipiebat, vt miniſtros ſummi ſplendoris VVackerum et Baruitium ablegaret, qui ſuo nomine Grutero gratias agerent, ſuaque auctoritate nobilitatem, aut pecuniae ſummam offerrent, vt ſibi eligeret, quod placeret: qui vero nobilis honores et munera magnae pecuniae repudiabat. Quod enim ad nobilitatem attineret, reſpondit: *ſe nobili genere, eoque antiquiſſimo, quod Flandriae floreret, natum eſſe.* Poſtquam vero Imperator intelligebat, quod vtrumque ſumma animi ſubmiſſione a ſe declinaret, aliud cepit conſilium, eique dignitatem Comitis Palatini indulgentiſſime conferebat. Quid? quod ſingularia priuilegia ei concedebat, ne quis libros, a Grutero editos, recuderet. Sed ſatis de Grutero; reliqua tradit Frider. Herm. Fleyderus, qui vitam eius non ineleganter deſcripſit.

IX. Eiusdem ſententiae fuit VDALRICVS ZASIVS, ſummus Iurisconſultus, & inter praecipua ſui ſeculi ornamenta numerandus, qui opera ſua iuridica FERDINANDO Imperatori dedicauit. Placuit autem Imperatori, huic Zaſio peculiare priuilegium concedere, vt ad otium honeſtum ſe conferret, prout ipſi viſum eſſet, ne labore docendi vires ingenii conſumeret, et ipſe ita defatigaretur: nihilominus tamen portio ſalarii, quae quotannis ei competeret, integra conſeruaretur. Zaſius vero, quemadmodum ex Io. Ficherti vitis Iurisconſultorum recentior. intelligo, hoc beneficio, ceſſationis cauſſa, vti noluit, ſed diligentiſſime ſtudioſos praeclaris litteris imbuebat, quia ipſi cognitum erat, quod multi e peregrinis locis ſui cauſſa Friburgum confluerent. Hinc de eo praedicatur, quod ne vllam quidem lectionem neglexerit, niſi corporis infirmitate impeditus fuerit. Interdum vero dolor pedum, quo vſque ad mortem laborabat, eum a ſtudio ſuo indefeſſo reuocabat.

X. Meditanti haec mihi de dedicationibus eruditorum, occurrunt ii, qui nuncupationes ſuas ad quaeſtum ma-

 gis,

giſ, quam ad venerationem, laudem et obſervantiam retulerunt. EILHARDVS LVBINVS, Profeſſor in Academia Roſtochienſi, qui praeter Theologiam, quam publice profitebatur, etiam humanitatis ſtudia magno ardore excoluit, in vſum ſtudioſae iuuentutis Perſium Hanouiae CIƆIƆCXIX curis ſuis illuſtratum, luci publicae exponebat, eumque nobili erudito e Marchia IVSTO DE BREDAV nuncupabat: inque ea dedicatione grauiter conquerebatur, quod eruditorum libri non parui ſolum a viris illuſtribus aeſtimarentur, ſed et dedicationes ab illis nullo, aut admodum exiguo munere compenſarentur. Ipſe auctor ita nos docet: *Non deſunt noſtra tempeſtate, apud quos conſtitutione cautum et interdictum eſſe perhibetur, nullum cuiuscunque et quicunque tandem ille ſit, librum dedicatum recipere, aut quoquo modo vllo munere compenſare.* Vnde liquido conſtare poteſt, quod conſilium eruditi eo tempore in libris dedicandis habuerint, et qui dedicationibus ſuis non aliud quiduis quaeſiuerint, quam quod ii, qui mendicabundis litteris ſtipem colligunt. Quo ſpectant verba Auctoris obſeruationum Halenſ. in additamentis pag. 289. *dedicatio librorum eſt ſpecies mendicandi: mendicare vero non pertinet ad eruditionem.*

XI. Vt igitur voti, quod nonnulli conceperunt, compotes fiant, eos diligenter circumſpiciunt, quos gratiſſimos dedicationum remuneratores fore arbitrantur, quamuis falſa ſpe inducti fuerint. De FRANCISCO HOTOMANNO, viro ceterum clariſſimo, refertur, quod IVSTO REVBERO voluerit obſeruationes ſuas inſcribere, ſi centum ab eo ioachimicos, praemii loco, acciperet. Vide eius epiſtol. CLXIV. Lucri fuit appetens; nec poſſum non hoc loco celeberrimi Iacobi Bernardi iudicium adſcribere, qui ita ait: *On y voit auſſi, que ce bon homme faiſoit a peu pres negoce de ſes epitres dedicatoires: il cher choit par tout Mecénes à qui il put les ofrir utilement. Il ſollicitoit ceux, qui etoient pres de Princes a lui procurer des recompen-*

compenſes conſiderables, et lors-qu'elles ne repondoient pas à ſon attente, il s' en plaignoit et reuenoit à la charge. On pourroit reprocher à bien des ſavans ces ſortes des baſſeſſes, mais la plupart ſont ſi mal partagez des biens de la fortune, et ceux qui les poſſedent ſont ſi durs à leur égard, que les ſavans ſe voyent contrains à mendier, malgrè qu' ils ayent, et la maniere la plus bonnète, qu' ils ayent pu imaginer, ce ſont les epitres dedicatoires: auſſi la premiere condition qu' ils exigent de leurs libraires c' eſt qu' ils ſeront maitres de la dedicace, et les libraires ſavent bien ce que cela veut dire, rabatent la dedicace ſur le prix de la copie, rendons cependant juſtice à quelques ſcauans; ils s' en louvent, qui ont aſſez de coeur et de deſintereſſement, pour ne point mandier dans une dedicace et qui de peur, qu' on ne les en accuſat, ou n' en point faite, cù ſe ſont addreſsés à des gens qui ſavoient ou ne devoir pas les enrichir. vid. Les Nouuelles de la rep. des lettr. de l' an. 1701. p. 275. Haec hactenus. Quamuis vero Reuberus laudis fuerit cupidiſſimus, quod maxime ex epiſtola Hotomanni CLXXXI patet; tamen, vt poſtliminio intelleximus, laudum ſuarum cantilenas tanti emere noluit.

XII. Sunt tamen, quod non reticendum, qui pro dedicationibus praemium impetrarunt, quod vero a dignitate ſua alienum, nec ſatis amplum, pro praeſtito labore, eſſe iudicauerunt. De GEORGIO COELESTINO referunt Auctores obſeruationum Halenſ. Tom. III. praef. et Parauicinus in ſingularibus de viris eruditione claris, quod hiſtoriam Auguſtanae Confeſſionis SENATVI ARGENTORATENSI dedicauerit, cui etiam, in ſignum grati animi, donum deferebatur. Poſtquam vero longe ſplendidius animo conceperat, quam quo exornabatur, remittebat illud Senatoribus, indigneque ferebat, quod non recte dedicationem honoremque aeſtimauerint. Coeleſtinus autem munere, quod acceperat, contentus eſſe potuiſſet, praeſertim cum illa hiſtoria ei parum laboris, curae, negotii faceſſerat. Obſeruatum enim eſt ab

aliis, quod eam Chytraeo ſurripuerit, nouamque dedicationem praemiſerit, cui ſententiae ſubſcribit etiam D. Io. Fechtius in ſupplement. ad hiſtor. Secul. XVI pag. 593.

XIII. Siqui eruditorum non tanta praemia a ſuis Maecenatibus conſequntur, quanta dedicationibus ſuis voluerunt, aſtu rem tractant, et librorum nomina immutant: quo facto, nouos patronos quaerunt, vt eorum remunerationibus ſua marſupia locupletent. Io. Burchardus Menckenius, vir de re litteraria immortaliter meritus, in nitidiſſimis declamationibus ſuis de charlataneria eruditorum, meminit PVTEANI, quod humani aliquid paſſus ſit, in eo cum primis, quod ad dedicationes librorum attinet. Hiſtoriam enim Inſubricam PHILIPPO GVILIELMO, Principi Arauſionenſi primum inſcripſerat; poſtea vero huic libro alium titulum de hiſtoria Barbarica praemiſit, eamque PHILIPPO IV Hiſpaniae Regi dedicauit.

XIV. Ceterum multis ſpes maxima erat, ſe librorum dedicationibus multum pecuniae eſſe recuperaturos, quos autem opinio maxime fefellit. In quorum numero eſt IOANNES IOACHIMVS BECHERVS, qui cum varia fortuna conflictatus eſt, quam vero ipſe ſibi plerumque conciliauerat, dum nullo vitae genere contentus erat, quamuis conſiliarius camerae et commerciorum Viennae fieret. Varius autem fuit ingenio, indeque commutatio ſubita res proſperas conſequebatur: qua de re mihi dicendum non eſt, cum CL. Iacobus Frider. Reimmannus in introduct. Hiſtor. litterar. German. part. III. lib. II. ſect. III. pleniſſimam hiſtoriam tradiderit. Quod vero ad noſtrum propoſitum attinet, Becherus, auctoritate viri illuſtris, non ſine diſpendio, characterem pro notitia linguarum vniuerſali CIϽIϽCLXI perfecerat, eumque Francofurti typis exſcribendum curauerat. Librum ergo dedicauerat ei, qui eum exhortatus erat, et cogitabat, ſe ampliſſima praemia virtutis et meritorum eſſe conſecuturum, non ſecus ac Oppianus Ana-

Digitized by Google

Anazarbaeus, cui imperator Ant. Caracalla pro carmine de piſcibus ſplendida ſatis munera contulerat. At vero loco immenſi ſumtus, quem fecerat, nullam aliam mercedem impetrabat, quam hanc, vt apud principem coenaret. Praeterea celſiſſimo principi id, quod dedicaviſſet, non diſplicere, ſed gratulari potius de nouo conſilio, quod tam feliciter ſucceſſiſſet. Becherus autem ſibi perſuaſum habebat, ſe aliquot millia thalerorum, remunerationis cauſſa, adepturum, quae quum non ſequerentur, clementiam principis iniquo animo tulit. Ipſe in Methodo Didactica ſancte aſſeuerauit, *ſe non commiſſurum vnquam, vt quoad viueret, aliquis eum ſpe largitionis et fiducia ad quoddam ingenii monumentum induceret.*

XV. IOANNES CIAMPINVS, vir eruditiſſimus, et qui ſtilo pontificio litterarum apoſtolicarum praeſumator erat, Magiſter Breuium Curiae, maior praeſidentiae Abbreuiator, nec non vtriusque ſignaturae Referendarius, multos libros doctrina et elegantiis refertisſimos conſignauit. Librum autem de perpetuo Azymorum vſu dedicabat Pontifici Romano INNOCENTIO XI, a quo ſe ingens praemium eſſe conſecuturum confidebat. Cum igitur ſupplex ad pedes ſanctiſſimi ſui patris accederet, non amplius quidpiam ab eo impetrabat, quam benedictionem, vt vocant, apoſtolicam; qua vero neque ſibi, neque ſuae bibliothecae, quam locupletare antiquitatibus, inſtrumentis Mathematicis in dies volebat, ex aequo conſulebatur. Ceterum propter humanitatem, qua omnes complectebatur, alterum Peireſcium nominabant, de quo auctor der curieuſen und vollſtändigen Reiſe-Beſchreibung von Italien part. II. notatu dignisſima recenſet.

XVI. THEODORVS GAZA, vir ſui aeui eruditiſſimus, idem prope fatum, duriuſque paullo, quam Ciampinus, experiebatur. Ariſtotelis enim hiſtoriam animalium in latinam linguam

linguam ſummo ſtudio tranſtulerat, eamque, veterum clientum more, Pontifici Romano dedicauerat. Ne autem liber incultus in conſpectum antiſtitis Romani prodiret, ipſe codicem magni pretii eleganter deſcribebat, deſcriptumque ei offerebat. Hic quanti ornatus libri conſtaret? quaeſiuit, et cum audiret, magnos ſumtus in eum factos eſſe, eos reddi iuſſit ei, qui ampliſſimo et Pontificis munificentia digno praemio ſe ornatum iri exiſtimabat. Cum vero eruditus hic Italiae hoſpes non plures, quam quinquaginta aureos conſequeretur (ſperabat enim, teſte Valeriano lib. II de infelicit. litterat., *ſe totum inauratum iri,*) dedignabatur ſuis laboribus, et aurum, quod acceperat, in Tiberim abiecit: *effugere hinc*, inquiens, *lubet, poſtquam optimae ſegetes in olfactu praepinguibus aſinis ſordeſcunt.* Scaliger in Scaligeranis pag. 164. de hoc Gaza haec tradit: *anno 1578 viuebat Papa Sixtus V, cui Gaza librum dicauit; cum vero derideretur ob munus, ſeceſſit in Calabriam, et obiit prae moerore.* Hoc facto maluit in Calabriae latebris ſe abſcondere, quam Romae, in clariſſima vrbe, viuere, vbi litterae in nullo, aut certe exiguo pretio haberentur. Huius vero Gazae fata alii pluribus expoſuerunt, in primis autem eius vitam egregie illuſtrauit ſumme Reuer. D. Chriſtianus Fridericus Boernerus, in diſſertatione erudita, de exulibus Graeciae.

XVII. AVGVSTINO IVSTINIANO, Nebbionenſi Epiſcopo, idem accidiſſe meminerunt Iouius in elogiis, Voſſius de Hiſtor. Latin. et Baylius in Dictionar. hiſtor. critico. Is enim Pſalterium Dauidis ex octo linguis conſtans publicis typis exſcribendum curauerat, et de eo exemplaria Principibus, Regibus et Imperatoribus muneri mittebat, ſpe certiſſima fretus, fore vt lucrum faciat, et pro eis diuitias orbis accipiat; quem autem ſpes fruſtrata eſt. Vnde accidebat, vt Biblia, quae eodem modo in lucem edere volebat, prelo ſubiicere non potuerit.

XVIII. Quod

Digitized by Google

XVIII. Quod vero non omnes praemium conſequantur, quod forte animo praeſumſerunt, nonnunquam alii in cauſſa ſunt; ſuoque exemplo illud fatum ERASMVS, magnus ille vir, experiebatur, qui Viduam ſuam, (ſic enim libri nomen inſcriptum erat) Sereniſſimae cuidam Reginae conſecrauerat. Typographus autem verbum quoddam in dedicatione in contrarium plane ſenſum contorſerat, ob quod auctor voti ſui compos fieri non poterat. Triſte hoc fatum Deſiderius Eraſmus Roterodamus Cruſio ſuo in quadam epiſtola his verbis recenſet: *cum in vidua mea, quam Sereniſſimae Hungariae Reginae dedicaveram, ad laudem cuiusdam ſanctiſſimae feminae, inter alia liberalitatem eius in pauperes referrem, haec verba ſubiunxi: atque mente illa vſam eam ſemper fuiſſe, quae talem feminam deceret. Sceleſtus vero typographus, animaduertens, ſibi vindictae occaſionem oblatam eſſe, ex mente illa, mentula fecit.* Quam moleſte autem hanc typographi incuriam aut nefarium propoſitum Eraſmus tulerit, inde perſpicuum eſt, quod ipſe illam ignominiam trecentis aureis redimere voluerit, ſi modo illa redimi auro potuiſſet. Equidem cum Pariſiis viueret, varios libros edebat, eosque FRANCISCO I Galliarum Regi conſecrabat, qui eum non ſine praemiis dimittebat, quibus deinde ſibi gazam librariam magni pretii comparare poterat. Io. Clericus in Biblioth. ſelect. Tom. VI artic. I.

XIX. Non autem negandum eſt, quod multi fuerint, quos Imperatores, Reges ac Principes ex improuiſo large et effuſe donarunt, dum forte de nulla re minus, quam de praemiis, cogitarunt. Matthias Coruinus, Hungarorum Rex, eruditos in magno habebat pretio, facilesque ad eum aditus erant: et nullus facile Princeps erat eo tempore, qui tot doctiſſimorum virorum conditionem in aula ſua aequam habebat. Proinde cum IOANNES MVLLERVS Rigiomontanus, ſeu de regio monte, Calendarium nouum et ephemerides

 diligen-

diligenter induſtrieque confeciſſet, easque MATTHIAE CORVINO dedicaſſet, fiebat, vt, commemorante CL. Czuittingero in Hungaria litterata, praemii loco, octo et centum aureos a Rege reportauerit. Ceterum quam ampliſſimis praemiis CHRISTIANVS III, Danorum Rex, LVCAM LOSSIVM adfecerit, poſtquam libros ſuos et ſuae ſuique Principis memoriae conſecrauerit, videri luculentisſime poteſt e ſumme Reuer. D. Georgii Henrici Goetzii Elogiis German. Theolog. Sec. XVI et XVII, qui Losſii vitam elegantiſſime deſcripſit.

XX. Hac etiam remuneratione fruebatur GEORGIVS MERVLA, vir in antiquitatibus et ſtudio hiſtorico non infelicisſimus. Antiquitates enim Vice-Comitum decem libris expoſuerat, et cum eae LVDOVICO SFORTIAE probarentur, praemii loco, a Duce poculum aureum accipiebat, quod nummis aureis refertum erat. Vide doctisſimum Auctorem Obſeruat. Miſcellanear. part. X p. 764. Antiquitates enim Merulae apud eruditos in tanta laude erant, vt eas, aequisſimus rerum aeſtimator, Ioannes Georgius Graeuius, incomparabili ſuo theſauro Antiquitatum et Hiſtoriarum inferendas iudicauerit.

XXI. Sequitur HIERONYMVS VVOLFIVS, vir indefeſſo ſtudio, variarumque rerum ſcientia inſtructisſimus, qui M. T. Ciceronis Officia, Dialogos duos et V libros Quaeſtionum Tuſculanarum recenſuerat, et philologicis adnotationibus egregie illuſtrauerat. Huius laboris dignisſimum pretium tulit, cum pro dedicatione octingentos florenos acceperit, notante Clarmundo in vit. part. II pag. 36. De GVILIELMO XYLANDRO tradit Martinus Cruſius, Profeſſor olim Tubingenſis in Germano-Graecia, quod pro nuncupatione librorum Arithmeticorum Diophanti quinquaginta thaleros a CHRISTOPHORO, Duce VVirtembergico, nactus ſit. Et cui ignotum eſſe poteſt, IANVM RVTGERSIVM muneribus magnae pecuniae

pecuniae a GVSTAVO ADOLPHO, Rege Succiae, fuiſſe exornatum, poſtquam ei libros VI Variar. Lection. nuncupauerat. IOSEPHVS SCALIGER, de quo multa habet Paulus Colomeſius in Gallia orientali, notas et caſtigationes in M. Manilium poëtam dedicabat HENRICO III, Regi Galliae, qui ei ſalarium quotannis e duobus millibus librarum Gallicarum conſtituebat. De MARTINO HANCKIO, celeberrimo Vratislauiae viro accepimus, quod Germanorum Imperator, LEOPOLDVS, glorioſiſſimae memoriae, eum torque aurea et nobilitate donauerit, cum librum de Scriptoribus hiſtoriae Byzantinae ſuo nomini inſcriberet. Hoc autem ſplendidiſſimum donum non ſtatim, ſed poſt aliquot annos demum accipiebat. Neque diuerſum ab hoc contigit IOANNI CAPELLANO, Regis Galliae conſiliario, qui poëma heroicum cum epigraphe: Pucelle d' Orleans, conficiebat, illudque Duci LANGEVILLIO dedicabat. Hic egregius remunerator non ſolum auctori mille thalerorum exſolui iuſſit, ſed quotannis ei eadem pecuniae ſumma dependebatur; quo beneficio etiam poſt mortem huius Ducis exornabatur. Tenzelius videatur in Colloqu. Menſtr. A. CIƆIƆCXCVII pag 438.

XXII. SABEVS Italus, qui ſub nomine Fauſti Sabaei innotuit, poſt mortem Papae Leonis X duro admodum vitae genere vtebatur, donec HENRICVS II Galliae Rex cum largis muneribus adficiebat, cui Coſmographiam et Epigrammata dedicauerat. Quid? quod ONVPHR. PANVINIVS, Eremita Auguſtini ordinis non ſolum Ferdinando I, Maximiliano II Imperatoribus, et Regi Hiſpaniarum Philippo II acceptus erat, ſed etiam PIO IV, Pontifici Romano, vt ei quingentos thaleros muneri mitteret, cum ſuo nomini librum conſecrauiſſet. Inter omnes autem, qui Muſagetarum beneficia experti ſunt, memorabilis eſt PHILIPPVS APIANVS, Medicinae Doctor, cui ALBERTVS Dux Bauariae bis mille et quingentos aureos pro Hiſtoria Bauarica largiebatur.

Digitized by Google

XXIII. LVDOLPHVM KVSTERVM, qui exquiſita Graecae linguae cognitione magnum ſibi nomen apud eruditos comparauit, ac Regibus ac Reginis acceptus erat, ANNA, Regina Angliae aurea torque, aureoque nummo magni pretii donauerat, licet ad aulam non natus erat; ſi mores et vitae conſuetudinem intueris; quod ipſe in praefatione in Iamblichium de vita Pythagorae luculenter teſtatur. *Malui*, inquit, *priuatus, omnique aulae cultu remotus Muſis meis me delectari, e quibus incredibilem ſemper voluptatem cepi, quam inter alios hiſce deliciis alienus ſplendidae ſeruituti obnoxius ingloriam vitam traducere.* FRIDERICVS autem I Rex Boruſſiae, & Marchio Brandenburgicus, cognita huius viri dexteritate, ſumtus ei clementiſſime ſubminiſtrauerat, vt iter in Galliam et Angliam ad rei litterariae felicitatem poſſet ſuſcipere. Quibus confectis, Suidam, nitidiſſimum opus, huic laudatiſſimo Regi conſecrabat, vt aliquo munere chartaceo pro tantis ſui Maecenatis beneficiis gratam deuotamque mentem declararet. At vero Rex hoc non ſolum benigne interpretabatur, ſed auctor ipſe pro dedicatione accipiebat centum ducatos, titulum Conſiliarii, Bibliothecarii et Profeſſoris honorarii, itidemque ſalarium mille et quingentorum thalerorum. Qua vero ratione ſe Berolino Amſtelodamum contulerit, recenſent doctiſsimi Auctores des Bücher-Saals LX Oeffn. pag. 885.

XXIV. Venimus nunc ad eos, qui non oratu, ſed gratia Principum, munera et officia ſuis dedicationibus rite obtinuerunt. IOANNES MARIVS AVANTIVS, magni nominis iuriſconſultus, carmen italice compoſuerat, idque Archiduci, et poſtmodum FERDINANDO Imperatori dedicauerat, qui eum, vt ſuae clementiae ſigna extarent, in aulam vocabat, eique dignitatem ſtatus Conſiliarii conferre non dubitabat. Qua de re praeter Thomaſinum in elogiis viror. docto-

Digitized by Google

doctorum, adire licet Paulum Freherum in Theatr. Viror. pag. 1033.

XXV. Idem beneficium experiebatur GABRIEL FRASCATA, vir doctiſſimus, qui tam fautricem naturam habebat in cognoſcendis Medicinae virtutibus, tantaque gratia valebat apud viros, illuſtri loco poſitos, vt omnes conſilium ab eo viuendique conſuetudinem peterent. Adi van der Linden Deſcript. Medicor. et Hieron. Ghilini theatr. d' humoni letter. Librum memoriae prodebat de balneis Returbii, eumque PHILIPPO II Hiſpaniarum Regi dicabat, quo facto, tantam ab eo inibat gratiam, vt non ſolum Madritum vocaretur, ſed etiam, quod praecipuae laudis eſt, munere Archiatri regii fungeretur.

XXVI. Quod ad PAVLVM IOVIVM attinet, is librum de Origine Turcarum CAROLO V Romanorum Imperatori conſecrabat, cui haec dedicatio mirabiliter grata erat, cum rebus ipſis, quae in libro adferebantur, tum etiam grauitate ſententiarum atque verborum, vt auctoritate ſua Equitis et Comitis Palatini dignitatem obtineret. Ad haec relatum legimus, quod ab Imperatore Turcico ampliſſimis praemiis ſit exornatus. Adde, ſi lubet, Thuanum e libro II, Hiſtor. Mareſii Epiſtolas philolog. et Theiſierium in Elog. doctor. Viror.

XXVII. De HENRICO PANTALEONE traditur, quod quum partem tertiam Proſopographiae ſuae illuſtr. virorum in lucem ederet, eamque MAXIMILIANO II conſecraret, Imperator e ſingulari gratia ei iura et priuilegia Poëtae Laureati et Comitis Palatini conceſſerit; quod memorat Melchior Adamus in Vitis Philoſoph.

XXVIII. Sed de iis nunc diſpiciamus, qui dedicationibus ſuis equeſtrem dignitatem conſecuti ſunt. Ex omnibus illuſtri documento ſit GEORGIVS FRANCZKIVS, Cancellarius Gothanus, vir eminenti ingenio, conſummataque do-

ctrina nobiliſſimus, qui Argentorati, ſi recte memini, Commentarium in XXI libros Pandectarum CIↃIↃCXLIV edebat. In hoc opere eruditi nihil deſiderant, ſed dolent potius, quod illud non omnibus numeris ſit abſolutum. Et ſi fata eum ſuperſtitem eſſe voluerint, vt in opere hoc eximio vberiores progreſſus facere potuiſſet, erudititſſimi iuris conſulti vnanimi conſenſu fatentur, Franczkii opere nullum abſolutius et perfectius cenſeri. Hunc autem commentarium auctor dedicabat FERDINANDO III Imperatori, qui, praemii loco, dignitatem equeſtrem ei ſponte deferebat, et pariter iura Comitis Palatini, referente Caſp. Sagittario in Hiſtoria Gothan. pag. 25. & VVittenio in Memor. Iurisconſult. decad. III. Ceterum alia quoque beneficia ei tribuit, quibus nobiles et equites alioquin frui non ſolent. Nobilitas enim non tam bello et aliorum hominum ſanguine comparatur, quam potius doctrina; multoque laudabilius, vera ſtatus notitia: egoque crediderim, difficilius eſſe, feros et indomitos de plebe homines ex prudentiae et ſapientiae legibus gubernare, quam hoſtem armis adgredi: maiusque momentum trahit, libertatem populi et felicitatem omnium ciuium defendere prudentiſſimis conſiliis, quam armis. Qui vero Franczkii vitam pleniſſime conſignatam inſpicere vult, adeat Ioannem Henricum Ackerum, Virum humaniſſimum, qui cupidiſſimo lectori ſatisfaciet.

XXIX. Ad eos nunc deueniendum eſt, qui Regibus et Principibus ſuos libros dedicarunt, quibus etiam nuncupationes tam acceptae fuerunt, vt ipſi ſua manu per litteras auctoribus gratias egerint. Declarat id ſuo exemplo D. IOANNES MVLLERVS, Hamburgenſium olim Theologus, et Paſtor primarius, qui Iudaiſmum publici iuris faciebat, eundemque FRIDERICO III, Danorum Regi, ſubmiſſe conſecrabat: Id quod tam benigne interpretatus eſt, vt, referente B. Sam. Bened. Carpzouio, in memoria huius Theologi, Rex ſua manu,

manu, quam gratum dedicatum ſibi laudatumque Iudaiſmum haberet, teſtatus ſit. Praeter VVittenii Memor. Theol. dec. XIV, conſulendus eſt fugientium litterarum ſtator, D. Ioannes Albertus Fabricius, in Memoriis Hamburgenſ. vol. III.

XXX. Eandem admirabilem clementiam, omnique praedicatione decorandam, expertus eſt illuſtris vir SAMVEL PVFENDORFIVS. Hic quamquam duro adoleſcentiae initio vtebatur; fiebat tamen, vt propter ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, et incomparabilem doctrinam Liberi Baronis ornamenta conſequeretur. In lucem enim edebat CIϽIϽCLX Hagae elementa Iurisprudentiae vniuerſalis, eaque CAROLO LVDOVICO, Electori Palatinatus, nuncupabat, qui eodem anno in peculiari epiſtola gratias ei indulgentisſime egit, et ſimul ſpem faciebat, fore, vt fauore et munificentia eum complectatur. Integram vero epiſtolam hoc loco relegere, neminem forſitan pigebit.

CAROLVS LVDOVICVS, Dei Gratia, Comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archi-Theſaurarius et Elector, Dux Bauariae &c. Doctiſſime Vir,

Singulariter nobis dilecte.

Accepimus vna cum litteris tuis librum nuper a TE editum, Nobisque inſcriptum. Grata Nobis non minus eſt eius dedicatio, quam iucunda erit lectio, vtpote ab argumento commendabilis, et qui Auctoris eruditionem publice manifeſtam facit. Gratitudinem Noſtram eo nomine TIBI teſtari non intermittemus, et vt ſingulari omnes fauore proſequimur, qui bonis litteris promouendis operam ſuam impendunt: ita et TE eodem nos complecti, tuaque erga rem litterariam merita in pretio habere, plane te perſuaſum eſſe cupimus. Heidelbergae d. 29. Sept. CIϽIϽCLX.

Amicus tuus beneuolus

CAROLVS LVDOVICVS.

De hac epiſtola conſulatur celeberrimus D. Iac. Frider. Ludouici

douici in delineatione Hiſtor. Iuris Diu. nat. et poſ. uniuerſ. ſect. XLIV. Subſequenti anno Elector etiam liberales pollicitationes adimplebat, dum ei munus Profeſſoris Iuris naturae et gentium in Academia Heidelbergenſi clementisſime demandabat, et memoratu dignum eſt, quod primus omnium fuerit, qui eiusmodi profeſſoris munere fungebatur. Deinde non celandum eſt, quod Elector Reformatae doctrinae, addictum Lutheranae religioni huic officio admouerit; de qua re beneuolum Lectorem plura edocebit doctiſſimus Auctor der denckwürdigen Lebens-Memoire des Herrn von Puſendorff.

XXXI. Sequuntur alii, quorum opinio in dedicationibus forte non mala fuit; eae tamen variam dubiamque fortunam ſubierunt. Hoc fatum experiebatur cordatiſſimus Theologus D. ANDREAS DANIEL HABICHHORSTIVS, qui quinque diſputationes ſuas, quibus Papatum ſuo Canonum gladio iugulatum ex ipſis monumentis Iuris Canonici paſſim latitantibus oſtendit, Serenisſimo Principi, CHRISTIANO LVDOVICO, Duci Mecklenburgico CIↃIↃCLXXIX conſecrauerat, qui autem, praemii loco, notante Magnifico noſtro Pippingio in Memor. Theolog. Tom. III. pag. 1559, iuſſu Principis, a munere, quo fungebatur, remotus eſt. Confer. Roſtochium litterat. ord. I, vnde fata huius Theologi non ſine dolore animi relegimus. At vero exiſtimo, noſtrum Habichhorſtium propterea coactum fuiſſe, muneri renunciare, quod Princeps, poſtquam in Gallia diu commoratus eſt, a religione Lutherana deſcierat, et praeſente Barbarino, Purpurato, ad caſtra Pontificiorum demigrauit, vt Papa poſtliminio intelligeret, quanta mentis religione et ſanctitate doctrinam Pontificiam amplecteretur, et haereticos angue peius et cane odiſſet.

XXXII. Nec praetermittendus hoc loco eſt ADRIANVS IVNIVS, qui in Anglia Dictionarium Graecum luci publicae expoſue-

expoſuerat, eique vt ſplendorem conciliaret, dedicauit illud iuniori Regi Angliae EDVARDO. Quia vero in dedicatione Eduardum expreſſe *Regem* appellauerat, factum eſt, vt hunc titulum Pontifex Romanus aegre tulerit. Idcirco ipſi omni animi contentione erat laborandum, vt ſe defenderet, omnemque moleſtiam deuoraret. Adeas velim Ianum Douſam in manibus Iunii, et Meurſii Athenas Batauas.

XXXIII. HENRICVS DODVVELLVS, vir eruditisſimus, vitas Velleii Paterculi, Quintiliani et Statii ex ipſorum libris, quos poſteritati reliquerunt, diligentisſime, et vt ſolebat, ingenioſe congeſſerat, quae in Annalibus Velleianis, Quintilianeis et Statianis coniunctim extant. Has viris in re publica litteraria magnis conſecrauerat; qua vero ratione factum ſit, vt dedicatio fuerit ſuppreſſa, verbis Iacobi Bernardi, CL. V. enarrabo. Ait enim: *Mr. Dodvvel avoit dedié les vies de Velleius Paterculus, de Quintilien, et de Stace au P. Pagi, conjointement avec le Cardinal Noris et ſon ami, qui avoit eté peu auparavant Eueque de S. Aſaph; mais que ſa Dedicace avoit eté ſupprimée, a cauſe de quelques expreſſions touchant cet illuſtre Prelat. Ces expreſſions etoient ſemblabes a celles que je viens de marquer en lettres Italiques. Comme Mr. Dodvvel eſt un de ceux, qui ſe ſont malheureſement ſeparez de l' Egliſe Anglicane, après la derniere Revolution, il n' a jamais aprouvé les changemens, qui ſe ſont faits depuis dans cette Egliſe, ſoit à l' égard de la depoſition de quelques Euêques, qui refuſoient de preter les ſermens; ſoit à l' egard de la translation des autres, qui n' avoient pas eu les memes ſcrupules. Celui dont parle Mr. Dodvvel avoit ete transferé de S. Aſaph a l' Euêché de Lichfield et Conventry, lors que ces Vies furent imprimées. Cependant Mr. Dodvvel le regardant comme ſchiſmatique, et comme illegitime le pouvoir, qui avoit fait cette translation, il ne vouloit donner que le titre de ci- devant Eueque de S. Aſaph a ce digne Prelat, qui gouverne aujourd' hui ſi glorieuſement le dioceſe de*

Digitized by Google

Worceſter. vide Les Nouv. de la Rep. des lettres, Mois de Fevr. 1706 pag. 130.

XXXIV. Sed peruenimus ad Ieſuitam MAXIMILIANVM RASSLERVM, qui Dillingae CIƆIƆCCXI vindicationem contra vindicias, ſiue ad vindicias Guilielmi Erneſti Tentzelii, celeberrimi Hiſtorici Saxonici, edebat, eoque in ſcripto denuo aſſerere conabatur, illuſtre coenobium ad D. Virginem praerogatiuam habere prae ciuitate Lindauienſi, quamuis doctisſimi uiri contrariam ſententiam amplexi fuerint: de qua lite Auctores Actorum Eruditorum German. part. XI pag. 954. conſuli poſſunt. Hoc autem ſcriptum dicabat Purpurato de LAMBERG, ceterisque ſplendidisſimis Legatis, qui Ratisbonae conuenerant; in qua vero dedicatione tam indecore et inhumaniter ſe gesſit, vt exemplaria vindicationis in auguſta et nitidisſima charta exſcribenda curauerit; dedicationem autem in charta leui eaque impurisſima, quam ne bibliopegus quidem laeuigauerat. At vero legati doctrinae Euangelicae auctoris facto dedignabantur adeo, vt non exemplaria ſolum remitterent, ſed rem etiam ad ſuos Principes detulerint. Cur vero FRANCISCVS IVNIVS librum de Pictura Veterum, egregium opus, in Belgio Roterodami CIƆIƆCXCIV; dedicationem autem in Gallia Pariſiis ad Abbatem BIGNONIVM excudi iuſſerit, et cur Auctor ſcripti, ſupplicatio ad Imperatores, Reges, Principes ſuper cauſſis Concilii generalis conuocandi contra Paulum V dicti, qui ſe *nouum hominem* nominat, IACOBO I, Regi Britanniae, id dedicauerit; dedicationem autem Romae CIƆIƆCXII confecerit, illius rei cauſſas repetere poſſumus ex modo laudati Tentzelii colloquiis menſtruis A. CIƆIƆCXCV menſ. Octobr. p. 843; huius vero ex Relat. innox. CIƆIƆCCX pag. 210.

XXXV. Mentionem etiam faciamus CONRADI VETTERI, Ieſuitae, qui librum, cuius nomen Feyer-Abend erat, SENATVI RATISBONENSI dedicauerat. Poſtquam vero intellectum

erat,

Digitized by Google

erat, quod auctor; aliique ſuae fortis latellites B. D. Iacobum Andream peſſime, Ieſuitarum more, illuſerint, factum eſt, vt ei, qui huius negotii cauſſa eo delegatus erat, Senatores exemplar cum his verbis reddiderint: Es werde ein Erbarer Rath ein ſchlechtes Gefallen davon haben, ſolches ungeandet nicht laſſen. Doctisſimus G. Serpilius proteſtationem, vt vocat, eines erbaren Cämmerer und Raths der Stadt Regenſpurg Auctoribus Venerandis der Unſchuld. Nachricht transmiſit, et e manu ſcripto varia ibi adlata ſunt, quae de Ieſuitarum inſidiis et impiis accuſationibus teſtantur. vid. Unſchuld. Nachricht 1711 dritte Ordn. pag. 294, et eiusdem Serpilii erſte Beylage in den Ehren-Gedächtniſſen derer Schwäbiſchen Theologorum. Ratisb. cIɔIɔccx.

XXXVI. Accidit etiam ſaepe, vt dedicationes ei ſint ingratae, in cuius honorem fiunt, praeſertim ſi auctor libri ſuſpicionem alicuius erroris habet. IOANNES VALENTINVS GENTILIS ob errores in doctrina de Sacra Trinitate ſaepe numero in vincula coniiciebatur, et tandem, cum res ſe ipſa aperiret, capitis, praeter opinionem, damnabatur. Cum autem in Heluetia e vinculis publicis dimitteretur, gratiam pro meritis referre volebat, et conſecrabat librum, in quo haereſes denuo tuebatur, PRAEFECTVRAE PRAEFECTO, qui eum in carcerem coniici iuſſerat. Enim vero haec dedicatio minus grata et accepta praefecto erat. Denique res eo peruenit, vt ipſe praefectus in ſuſpicionem incideret, ac ſi ſententiam erroneam Gentilis tuto ſequeretur. Quae luculentius intelliguntur, ſi vel ea, quae Petrus Baylius in Dictionar. Hiſtor-crit. Tom. II pag. 1324 habet, cum his conferuntur. Caute igitur in ea re verſandum eſt. IO. ANGELIVS VVERDENHAGENIVS, Profeſſor olim in Academia Iulia, vir varius, turbulentus, ſibique nimium indulgens, in epiſtola dedicatoria, quam Bodini Synopſi de re publica praemiſit *Michaelem Seruetum* vocat *optimum et inculpatae vitae virum;*

virum; vnde Cloppenburgio in praef. Socinian. confutati non immerito Socinianiſmi ſuſpectus eſt. Ceterum M. Petrus Adolphus Boyſen in Academia Vitembergenſi de hoc Michaele Serueto, Hiſpano cIↃIↃCCXII diligenter commentatus eſt.

XXXVII. Vti vero dedicationem Gentilis minus ratam habebat modo dictus Praefectus; ita nec ORTVINVM GRATIVM nuncupatione epiſtolarum obſcurorum virorum delectatum fuiſſe, quiſque facile intelliget. Monachi enim Colonienſes latinitatis et bonarum artium rudes et imperiti erant, cumque viderent, quod Reuchlinus, Buſchius, Huttenus, barbariei reſiſterent, litterasque nitori priſtino reſtituere vellent, moleſte ferebant eorum auſus, et omni cura nitebantur, vt illi reſtauratores litterarum ſupprimerentur. Inde doctiſſimi viri monachis ſupinam negligentiam epiſtolis exprobrabant, easque propterea Ortuino Gratio conſecrabant, quod in gratiam Colonienſium Monachorum amarulentam defenſionem contra Ioannem Reuchlinum ediderat. Quae vero hac de re dicenda ſunt, ea Hermannus Hamelmannus in vita Hermanni Buſchii recenſet, qui ita infit: *Ortuinus, vir alioquin non indoctiſſimus in gratiam barbarorum Theologorum (aucupans opimam aliquam praebendam, et beneficia eccleſiaſtica) ſeſe coniunxerat Iacobo Hochſtrato Theologo et magiſtro noſtro certanti contra Ioannem Reuchlinum Capnionem. Interea dum vtriusque cauſſa ventilaretur Romae, vbi patrocinium Reuchlini ſuſcepit, et ipſius actionem defendit Buſchius amicus, Doctor vtriusque iuris Ioannes a VVick, cadit cauſſa Hochſtratus; hinc fit, vt ſeſe coniungerent praepoſitus comes Neuvvenarius, Vlricus ab Hutten, atque epiſtolas obſcurorum virorum ridiculas contexerent in inuidam Ortuini Gratii, qui multis ſcriptis defenderat Hochſtratum: et hae iam etiam in multorum manibus ſunt.*

XXXVIII. LVDOVICVS ARIOSTVS, Poëta Italus, non minus comoedias, quam ſatyras conficiebat, quibus in gente

ſua

ſua eminere cupiebat. Cum vero poëma heroicum, Orlando furioſo dictum, Cardinali ESTIO dedicaret, et ſe magnam ab eo mercedem laturum ſperaret, non aliam ferebat, quam quod purpuratus ille ad eum diceret: *vnde has ineptias petiſti?* vide Lexicon eruditum, quod Lipſiae CIↃIↃCCXV cum praefat. celeberrimi Menckenii prodiit.

XXXIX. Pulchre ſuam rem facere ſibi videntur, qui libros magnis et excellentiſſimis viris ideo adſignant et adiudicant, vt hoc modo clarius exſplendeſcant, ſermonibus aliorum hominum celebrentur, et nominis claritatem conſequantur. Quemadmodum enim luna lumen et radios a ſole recipit, vt luceat; ita nec aliter comparati ſunt nonnulli eruditi, qui exiſtimant, obſcurum nomen ſuum maxime illuſtrari, ſi librum viro illuſtris nominis dicarent. Ipſe ſatis multos noui, qui Viris eminentiſſima dignitate libros conſecrarunt, quos nunquam viderunt, nunquam cum illis collocuti ſunt: et ſiquis ex eis quaerebat, cur id facerent? reſponderunt: vt alii cognoſcerent, ſe alienae gloriae cernere hereditatem, dum in magnis viris virtutem et incredibilem eruditionem admirarentur. Recte igitur CL. Philip. Anton. Laubius in diſſertatione de peccatis eruditorum, praecept. I: *hos videas numinibus virorum laudatorum holocauſta dedicationum conſecrare, et panegyricorum fumis, ceu thuribulis, litare, vt viciſſim vel celebritatis fumo paſci vel idolothitis veſci, hoc eſt, munificentia et gratia eorum, in quos fiduciam omnem collocarunt, perfrui queant.* Cum hoc coniungendus eſt Iuſtus Chriſtophorus Boehmerus, clariſſimus Helmſtadienſium Profeſſor, et de bonis litteris optime merens in Proluſionibus Academicis, proluſione II de artibus nonnullorum inclareſcendi in re publica litteraria, et clarisſimus Michael Lilienthalius in diſſertatione lectu dignisſima de Machiauellismo litterario, ſect. IX. At enim vero, ſi verum fateri volumus, nihil malignius eſt, et a vera laude

 alieni-

Digitized by Google

alienius, quam eorum nominibus librum, aut aliud quoduis ingenii monumentum ſubdole conſecrare, qui ſuae ſortis non eſt, quos auctor non nouit, quos e priuatis rationibus laudat, vt praeter meritum eisdem laudibus rurſus inſigniter efferatur, et nominis celebritatem conſequatur. Verum longisſime a ſuo inſtituto aberrant, ſuoque documento experiuntur, quod Caſp. Barthius, Criticus et polyhiſtor inſignis lib. v Soliloquior. cap. III de cupiditate inclareſcendi tradit: *inimicitias innumeras in ſe trahit, quidquid celebritati nominis ſtudet, idque ob inuidiam tam intelligentium, quam ignorantium. Quicunque enim ambitioſius eſt, non niſi aegro animo patitur praecedentem in gloria, & hic vtique intelligit damnum ſuum in alterius praeuectione. Qui vero ignorat virtutem eius, quem calculo ſuo in obſequium multorum facit nobiliorum, peſtilentius eum adit, cum primum ab aliis culpari percipit. Errori enim ſuo ignoſcere ob ſtultitiam non poteſt, et alienam futilitatem ignoraſſe cum turpe ſibi putet, peiori longe ſua iracundia vlciſcitur, vt aliqua ſapuiſſe videri poſſit antea, et ignorantiam ſuam tum emendare ſtrictiore deiecti hominis contemtu. Horſum exit ſemel imminens ſemper celſitudini exiſtimationis periculum.* His non immerito ſuccenſet conſultisſimus vir, Chriſtianus Thomaſius, in dedicatione Colloquiorum Menſtr. qui videndus eſt. At enim ſi verbi diuini miniſter auditores habet magni nominis, non video, cur ei vitio verteretur, ſi conciones ſacras, quae publice et coram habitae fuerunt, eis conſecratas voluerit, cum occaſionem nanciſcantur, in memoriam eas reuocare, et praecepta de fide et vita quauis ratione altius animis infigere.

XL. Siquis vero non eo modo poteſt in re publica litteraria caput prae aliis efferre, aliud certe conſilium in animo agitat, vt aut ipſe ſibi ſuum ingenii foetum conſecret, aut typographum eo ſollicitet, vt ipſi auctori ſuum opus non ſine laudum praeconiis inſcribat. Quid multa commemo-

Digitized by Google

memorem de ANDREA SCHOTTO, qui poſtquam Italiam illuſtratam confecerat, a typographo ANDREA COMBIERIO dedicare ſibi paſſus eſt.

XLI. Longe autem res alia eſt, ſi non auctor ipſe, ſed alius quidam ipſi auctori ſuum librum inſcribit, cum in alienis locis eius copia ad reliquorum vſum paratur. BOHVSLAVS BALBINVS, Orator, Hiſtoricus et Poëta, Pragae, Veriſimilia humaniorum diſciplinarum edebat, cumque CHRISTIANVS VVEISIVS, vir de ſtudioſa iuuentute meritiſſimus, eorum praeſtantiam cognoſceret, factum eſt, vt ea ad exemplar Pragenſe Lipſiae CIↃ IↃ C LXXXVII recudi curaret. Tantum vero aberat, vt alii viro celeberrimo haec inſcriberet, vt potius *auctori ipſi* ſuum ingenii monumentum conſecraret. Quanto amore alter alterum complexus ſit, vix poteſt dici; dixit vero erudite nonnulla Samuel Groſſerus, Gymnaſii Goerlicenſis Rector clariſſimus in vita Chriſtiani VVeiſii pag. 82 et reliquis.

XLII. Si quis vero labore alterius vult inclareſcere eosque libros in exteris et alienis locis recudi curat, quorum copia in thecis librariorum priorum iam proſtat, neſcio, an auctoribus gratum fiat officium, licet ad rem excuſandam eidem auctorum nominibus inſcribantur. D. Abrahamus Calouius, magni nominis Theologus CIↃIↃCLXXXII Hiſtoriam Syncretiſticam in lucem publicam edebat, et triennio poſt Theologiae candidatus M. IOANNES SCHMIDIVS eandem prelo iterum Ratzburgi ſubiiciebat, et ipſi auctori D. CALOVIO dedicabat. Quae fata ſubierit hoc negotium litterarium, cognoſcere poſſumus e Relat. innox. CIↃIↃCCXVI pag. 214.

XLIII. Ceterum fines verecundiae tranſire videntur, qui in dedicatione multum de libris ſuis gloriantur, magnamque ipſi opinionem de ſe habent. Cum ante aliquot annos Anglus, IOANNES KER, Medicinae Doctor, in Anglia

Digitized by Google

glia obſeruationes de Latina lingua ederet, dedicabat eas ANNAE Anglorum Reginae, et in felicitate eius numerabat, quod eo tempore ſuum elegantiſſimum opus lucem aſpiceret, quo ipſa imperio fungeretur. Ne vero hoc gratis dixiſſe videamur, aut aliquis id fictum excogitatumque ab aliis arbitretur, verba auctoris hoc loco relegamus, qui in dedicatione inter alia haec habet: *Annae Reginae conſiliis, auſpiciis, rebus gerendis Europa, Africa perſonant. Scire eos interim quid vetat, quod omnium intereſſe, vt ſciant, breui patebit; quodque in eo bonorum cenſu, ex quibus modo conſtat tua rara felicitas, adeo non infimum locum meretur, vt in raris ſit tui, propriisque Principatus euentis cenſendum; in eo natum eſſe editumque conceptum, non vnius ingenii, non vnius ſeculi;* et quae cetera ſunt. Huic autem aliisque viris non accenſendi ſunt ii, qui in dedicatione eos nominant, per quos profecerunt, quod non inglorioſum eſt: aut quam curam in edendis libris adhibuerunt, quamuis hoc parum ad laudem faciat, cum ipſe liber ſe legentibus commendare debeat. FRANCISCVS MODIVS, doctiſſimus vir, cum Coloniae Vegetium, Frontinum, aliosque eiusdem argumenti ſcriptores CIↃIↃCLXXX coniunctim ederet, in dedicatione ad nobilem ADOLPHVM SCHIFFARTVM A MERADE fatetur, quod hoſce auctores non perfunctorie et obiter, ſed ſumma cura perluſtrauerit, eosque cum codicibus manu ſcriptis contulerit, vt ſuo priſtino nitori demum reſtituerentur.

XLIV. Multo autem ſapientius illi agunt, qui dedicationes ſuas ita ordinant, vt non inclareſcendi, gloriandi ſtudium, ſed vera inde amicitia eluceat. Poſtquam enim FRANCISCVS PETRARCHA, vir diuinarum humanarumque rerum inſtructiſſimus, librum de vita ſolitaria in publicum emiſerat, non dubitauit, illum ſibi amiciſſimo PHILIPPO CABASALIO, Purpurato, ex animo et adfectu offerre, vt nouum quoddam beneuolentiae eſſet incitamentum, et amicitia hiſce officiis

ficus ſanctius conciliaretur. confer Frizonii Galliam purpurat. Conueniebat enim inter vtrumque, crebrasque litteras Petrarcha ad Cabaſalium dabat, vt conſtaret, omnibus, amicitiae officia maiori diligentia eſſe conſeruanda, quam opes, quae malorum interuentu facile dirimerentur. videantur Epiſtolae Petrarchae, epiſt. I et II lib. II et lib. IV epiſt. I. Sed vbi nunc in eo vera inter eruditos amicitia eſt? rara profecto eſt, nec mirari debemus Cicerônis vocem: *ex omnibus ſeculis vix tria aut quatuor nominari amicorum paria.*

XLV. Parem tamen amicitiam, eamque ſpectatae fidei deprehendimus in Buchnero et Daumio, quos eruditi non modo in Germaniae oris, ſed etiam in longe diſiunctis regionibus inter praecipua ſui ordinis ornamenta non iniuſte numerant. CHRISTIANVS enim DAVMIVS tanti faciebat amicitiam ſui AVGVSTI BVCHNERI, Viri polyhiſtoris clariſſimi, vt ei, quas dudum affectas habebat, ſtrenas, ſeu vota metrica vario carminum genere palindroma, conſecraret, ſuam beneuolentiam ſignificaturus. Quantam vero voluptatem ex hac dedicatione ceperit, ipſe aliis cognoſcendam exhibet epiſtola centeſima part. I Epiſtolarum: *Strena tua*, inquit, *quam grata nobis, quam exoptata acciderit, paucis dici non poteſt. Quam et auctoris et edentis nomen tantopere commendabant. De rebus autem, quae ibi tractantur, quid dicam? quae tam diuinae, tam ſalutiferae, vt mereatur libellus geſtari in ſinu perpetuo ac volui, nec legi tantum, ſed edíſci totus. Quare magnas, immo ingentes gratias ago, Daumi clariſſime, quod eius non tantum copiam nobis facere, ſed nomini quoque noſtro inſcribere voluiſti. Tenebis profecto me, Daumi, hoc tam praeclaro ac ſancto pignore tibi obſtrictum perpetuo ac obligatum*, cetera.

XLVI. DESIDERIVS ERASMVS Roterod. et THOMAS MORVS erant intima familiaritate coniunctiſſimi, et cum Eraſmus ſtultitiae laudes CIƆIƆVIII ederet, dedicabat illas ſuo Moro, qui iocos non ſolum ipſe amabat, ſed eos quoque

E ab

ab amicis prolatos benigne interpretabatur, ita tamen, vt auctoritatem, quam in Anglia virtute ac meritis obtinuerat, ſibi integram ſeruaret. Quod autem amor vtriusque conſtans et plane ſingularis fuerit, vel inde intelligendum eſt, quod auctor ingenii ſui opus Moriae encomium nominauerit, Mōrique nomini dicauerit; qua inſcriptioni tantus vir potuiſſet indignari, niſi animus amiciſſimi ſui Eraſmi ei optime cognitus fuiſſet. Ipſum audiamus e dedicatione, quae non minus lectu iucunda, quam vtilis eſt. *Ergo*, inquit, *quoniam aliquid agendum duxi, et id tempus ad ſeriam commentationem parum videbatur commodatum, viſum eſt Moriae encomium ludere. Quae Pallas iſtud tibi miſit in mentem? inquies. Primum admonuit me Mori cognomen tibi gentile, quod tam ad moriae vocabulum accedit, quam es ipſe a re alienus. Deinde ſuſpicabar, hunc ingenii noſtri luſum tibi praecipue probatum iri, propterea quod ſoleas huius generis iocis, hoc eſt, nec indoctis, ni fallor, nec vſquequaque inſulſis, impendio delectari, et omnino in commodum mortalium vita Democritum quendam agere.* Pergit paullo poſt: *hanc igitur declamatiunculam non ſolum lubens accipies ceu μνημόσυνον tui ſodalis, verum etiam tuendam ſuſcipies, vtpote tibi dicatam, iamque tuam, non meam.* Tandem illam ita concludit: *vale, diſertiſſime More, et moriam tuam gnauiter defende. Ex rure quinto Idus Iunias A. CIƆ IƆ VIII.* Hanc, quam ipſe auctor vocat, declamatiunculam iure laudant eruditi, eamque CL. Gueudeuillius Lugduni cum animaduerſionibus Liſtrii denuo in linguam Gallicam transtulit, et cum Holbeinii figuris elegantiſſimis exornauit.

XLVII. Dedicatione etiam ſaepe fit, vt auctor libri in eorum notitiam perueniat, qui eruditos, cum ipſi de bonis litteris praeclare meriti ſunt, ex aequo aeſtimant. HENRICVS VALESIVS, vir magno ingenio, ex optimis ſcriptoribus, Polybio, Diodoro Siculo, Nic. Damaſceno, excerpta conficiebat, eaque clariſſimo PEIRESCII nomini conſecrabat. Hoc ſpeci-

ſpecimine litterario Peireſcius commouebatur, vt eum ſua amicitia dignum iudicaret, et quia opibus quam maxime valebat, et fautor erat eruditorum, ex Graecia praeſtantiſſimos libros magnis ſumtibus aduchi curabat, quos Valeſio ſuo tradebat, qui optima quaeuis exinde enotabat, et iuris publici faciebat. Neque vero diſſimulandum eſt, quod a Peireſcio donum etiam non contemnendi pretii impetrauerit, quamuis haec ſpicilegia non pecuniae, ſed amicitiae cauſſa ei nuncupauerit. relege eius Vitam a fratre Hadriano Valeſio conſcriptam.

XLVIII. In amicitiam iniurii eſſe videntur, qui auctorem libri ſingulari laude extollunt, quam, aliorum ſententia, non meretur, quamuis, quod ad argumenta et eorum eruditam elaborationem attinet, nihil in eiusmodi opere ſit deſiderandum. Philippus de Leyden, doctiſſimus Batauorum Iurisconſultus, tractatus iuridico-politicos luci publicae exponebat, et IOS. FRANSZIVS ad CORNELIVM dedicationem praemittebat. In ea multum laudat auctoris praeclaram ſcientiam in iuris ſtudio et politicae, quam nemo ei denegare potuit. Quod autem eum ibi appellat Tullianae eloquentiae venuſtatem, indicio eſt, quod Ciceronis dictionem et genium Latinae linguae parum intellexerit. Ioannes Clericus in Biblioth. ſelect. Tom. I articulo II ita hac de re iudicat: *Joſſe Franſze y fait l' eloge de ſon Auteur, à qui il attribue avec raiſon beaucoup de ſavoir dans la Juriſprudence et dans la Politique; mais pour ce qu' il appelle Tullianae eloquentiae venuſtas, et qu'il dit, qu'on y trouvera, on voit bien que le bon maitre Joſſe n' avoit guere lû Ciceron. Les belles lettres ne faiſoient que renaître en ce tems là, et ceux qui paſſoient leur vie à lire les decretales et les ecrits de Bartbole et de Balde, n'en pouvoient pas ſavoir d' avantage.*

XLIX. Deprehendimus quoque in hiſtoria eorum exempla, qui ex grato animo libros amicis dedicauerunt. Quae

quum omnium notatu digniſſima ſunt, merentur etiam tanto maiorem laudem, cum animum beneficiorum memorem manifeſtent. Quis eſt, qui bellum Neapolitanum non exhorreſcat, ſi relatum legit, tot homines, iuſſu ducis Albani, qui ſummam rerum tum temporis adminiſtrabat, occiſos eſſe; de cuius ſaeuitia aetas non conticeſcet, dum genus hominum erit. Cum enim is Nardauiam bello perſequeretur, factum eſt, vt Leo VVeldanus nomine, et Ioannes Caſtilianus, qui copiis Neapolitanis praeerant, LAMBERTVM HORTENSIUM non a periculo ſolum liberarent, ſed viam etiam tuto effugiendi patefacerent. Hos enim belli duces Hortenſius bonis artibus ante imbuerat, qui ad gratam mentem declarandam, praeceptorem ſuum huius beneficii participem reddiderant, vt Valer. Andreas in Biblioth. Belg. pag. 613 refert, et quod Franciſcus Svveertius in Athen. Belg. pag. 508 memorat. Neque vero Hortenſius ſe beneficii plane immemorem praeſtitit, ſed cariſſimo quondam diſcipulo ſuo LEONI VVELDANO M. Annaeum Lucanum dedicauit, quemadmodum Lappius in vita Hortenſii recenſet. Forte hoc poëta in iuuentute ſua delectabatur, vti alias viri ſummi, in quorum numero eſt Hugo Grotius, de quo Guido Patinus in epiſtolis tradit, quod cum ſemper in ſinu geſtauerit, vix vno die intermiſſo, quo non aliquid ex eo relegeret.

L. AEGIDIVS MENAGIVS, vir doctiſſimus, Ludouico Nublaeo, cauſſarum patrono, in Academia Pariſienſi deuinctus erat, vt prima occaſione cogitaret, quo ſigno ſe gratum clientem, datique beneficii memorem declararet. In vulgus enim emanauerat, ac ſi libellum famoſum in Parlamentum, vt vocant, conſcripſiſſet: ad quam ſuſpicionem vox toga male intellecta cauſſam praebebat. Huius autem cauſſam Nublaeus in ſe receperat, eumque contra liuorem aduerſariorum et obtrectationem acerrime defendebat, et feliciſſime a ſuſpicione libelli famoſi liberabat. Cum igitur amoenitates

nitates Iuris ciuilis in lucem prodirent Pariſiis, ſuae obſeruantiae eſſe duxit, eas LVDOVICO NVBLAEO conſecrare, quas etiam hilari fronte ſuſcipiebat. THOMAS REINESIVS, quum intelligeret, ſe beneficiis Colberti in Gallia eſſe exornatum, a ſe impetrare non poterat, vt illud reticeret, vt potius publice confiteretur, cui maximopere eſſet obſtrictus. Inde factum eſt, vt magnus hic polyhiſtor celeberrimo COLBERTO Petronii Arb. fragmentum cum epicriſi et ſcholiis dedicaret.

LI. Superſunt nonnulli, qui dedicationibus ſe ſuaque ſtudia ſummis viris et benigniſſimis Muſagetis commendarunt. DIONYSIVS BRISONNETVS eruditorum tutor et patronus erat, ad quem confugiebant, cupidiſſime laborantes, vt in eius notitiam venirent, eiusque fauore ipſis cum aliis frui contingeret. Intelligebant enim, hunc virum politiores litteras in pretio habere, quae deinde in varios ſe vſus in vtraque republica diffunderent. Hinc PERIONIVS, IODOCVS, CHLITOVAEVS, VATABLVS, aliique doctiſſimi viri, ſua ſcripta incomparabili huic Maecenati dedicabant, et ſi qui in elegantiori doctrina et grauioribus diſciplinis aliquid meditabantur, ad hunc, tanquam ad iudicem aequiſſimum, illud retulerunt. Videatur Lexicon Buddeanum Vniverſ. Hiſtoric; articulo Briconnet. Taceo NICOLAVM BRVLARTVM, Galliae Cancellarium, cui HVGO GROTIVS Florilegium Stobeanum conſecrauit.

LII. Primo autem loco nominandus eſt Vitus Ludouicus a Seckendorfius, illuſtre Nobilium ornamentum, reique litterariae praeſidium, amor et deliciae Eruditorum. Quam mire et inſigniter doctis fauerit, eorum exempla in luce poſita ſunt, qui tanti Muſarum patroni memoriam, grati animi recordatione, adhibent. Neque vllum fore confido, qui Seckendorfii merita in aulam et praeclaras ſcientias ignoret, quae laude noſtra multo maiora ſunt. Quam multi ſe ad ſummum virum receperint, et dedicationibus librorum gratiam inierint, omnibus conſtat: ex multis autem B. FRIDERI-

cvm rappoldvm, clariſſimum olim Lipſienſium Profeſſorem hoc loco memorabo, qui inter complura doctrinae documenta, quibus nomen ipſius inclaruit, Horatium, ſuis exquiſitis commentariis illuſtratum, magno seckendorfio nuncupabat. Hunc enim poëtam multis aliis praeferebat, meminique, illuſtrem virum Curt. Henricum ab Einſiedel, Regis Polon. et Elector. Sax. Conſiliarium intimum, nunc beatum, qui ipſius tutelae in tenera aetate commiſſus erat, mihi retuliſſe, quod ſingulari amore hunc auctorem profecutus ſit, ita, vt in eo legendo omnes curas abſterſerit, et crebra lectione carmina ſibi tam familiaria reddiderit, vt fere ſingula ſine haeſitatione recitare potuerit.

LIII. Habemus multa eorum exempla, qui ex auctoribus, quos claſſicos vocamus, vnum alterumque tanti fecerunt, vt a primis annis ad adultam vsque aetatem, et amplius, eius lectione mirifice delectati ſint. De eis non dicam, qui poſt ſacra in hiſce ſcriptoribus dilucidandis quotidie verſantur, ſed mihi Auguſtus, Dux Saxoniae in mentem venit, qui Terentii comoedias in ſummo amore habuit. Inde eſt, quod comicum hunc ſcriptorem avgvsto, glorioſiſſimae memoriae, georgivs fabricivs conſecrauerit, qui in epiſtola dedicatoria haec adfert: *haec cum TE puerum, vt ſaepe ex Ioanne Riuio, viro optimo et doctiſſimo magiſtro Tuo audiuimus, incredibiliter delectarint, multo magis nunc maturiorem aetatem afficient, et illam admirabilem naturae atque ingenii Tui vim ad omne decus excitabunt.* Conſule etiam B. Ioannis Gothofredi Olearii ſcrinium antiquar. pag. 135, qui aliquot Fabricii epiſtolas Halae luci publicae expoſuit. Ioannes etiam Riuius bonis litteris Auguſtum imbuebat, ſuamque fidem Georgio de Schleiniz in epiſtola, quam Lipſiae cIↄ Iↄxli ſcripſit, ita pollicetur: *DEI ope, gratia ac benignitate fretus, nullos vnquam in docendo Auguſto, et ad optima quaeque adſuefaciendo defugiam labores, dum et veſtrae omnium expectationi et aliorum votis aliqua ex parte, ſatis tantum fecero.*

LIV.

LIV. Fit etiam nonnunquam, vt illius ſcripta ſingula colligantur, qui viro illuſtri vnum aut alterum dedicauit, quod placuit, et ab vniuerſo eruditorum ordine benigne fuit ſuſceptum. NICOLAVS PARTHENIVS GIANNETASIVS, Neopolitanus, e ſocietate Ieſu, Naumachiam, ſeu de bello nauali CIↃIↃCCXV edebat, eamque ANT. RAMB. COLLALTO, Comiti Neapolit. conſecrauerat. Quia vero auctor omnia vndique conquiſiuerat, quae ad rem ſuam faciebant, eisque ingenium et praeclaras ſcientias oſtentabat, factum eſt, vt modo laudatus Collaltus libros, diuerſis temporibus editos, omnes colligi, et in peculiaria volumina recte ordineque diſtribui iuſſerit, quae etiam coniunctim in lucem publicam prodibunt, quemadmodum intelligo e Tom. XXII de Giornale de Letterati d' Italia, quae excepta Venetiis publicantur.

LV. Nec ſilentio praetereundum eſt, quod eruditi alios in dedicationibus non obſcuris verbis adhortentur, vt ſcripta, quae in ſcriniis litterariis priuato vſui adſeruant, cum orbe litterario communicare non dedignentur. Multa enim a cordatis viris relicta ſunt, in quibus magna quoque ingenia ſe poſſint amplius exercere. IANVS CORNARIVS, Medicus Cygneus, vir ingenio iuxta et doctrina clariſſimus, aut iudicio B. Ioachimi Felleri in Cygneis quaſimodogenitis cap. III *non Cygneae tantum, ſed totius Germaniae et rei litterariae decus et ornamentum immortale*, exhortabatur *Matthiam Aurogallum*, Profeſſorem Vitembergenſium doctiſſimum, in dedicatione libri, de amoris praeſtantia, aut potius de amatoriis adfectibus, vt Aëtii, Medici cuiuſdam, ſcripta in lucem ederet. Neque ſolum adhortatione illum ad Aëtium publicandum ſollicitabat, ſed etiam ad diuulgandos XIX libros de Hiſtoria naturali, qui a viro quondam doctiſſimo in volumen congeſti eſſent, itidemque Hymnos Callimachi, Orationes X Oratorum Athenienſium, ſimilique modo alia Graecorum manu ſcripta, quae beneficio Baronis Bohuslai ab Haſſenſtein

ex

ex Oriente in Bohemiam adlata eſſent: quaeque cognation s et ſtudiorum iure hereditario ad modo laudatum Aurogallum peruenerint. Ex quo quis facile colligere potuiſſet, Profeſſorem hunc propinqua cognatione cum Barone fuiſſe coniunctum. Quae praeterea hac de re dicenda eſſent, Io. Micraelius in Syntagmat. Hiſtor; Petrus Baylius in Diction. Hiſtor. crit. et conſummatiſſimus vir C. S. Schurzfleiſchius in diſſert. de meritis Germanorum in Graecas litteras, eruditisſima recenſione expoſuerunt.

LVI. Non autem heic illaudatum praetermittere poſſum Tubingenſis Cancellarii excellentiſſimi D. IO. VVOLFG. IAEGERI conſilium, qui in dedicatione tractationis de Foedere Gratiae, eiusque oeconomia ſub periodis ſeptem Vet. et Nou. Teſtamenti Francof. CIↃIↃCCXII editae ad D. IO. HENR. MAIVM, ſummopere rogat et admonet ſumme Reuerend. D. VAL. ERN. LOESCHERVM, vt pro re et necesſitate contra inſultus Papatus et machinationes opus meditaretur. Sic enim dicto loco ait: *quod ſi bella placeant, cum Roma potius eſſent ineunda, quae quotidie in acie contra nos ſtat, et iam de devicta Saxonia tantum non publice triumphat. Hos triumphos ſi deſtrueret Dn. Loeſcherus celeberrimus, et Saxoniam magis in fide firmaret, immortale ſibi nomen pararet, ſpemque meliorum temporum cum ſummo applauſu Eccleſiae Evangelicae ac ſine vllo haereſeos chiliaſticae periculo reduceret.* Quibus piis deſideriis commotus, tantus Theologus noſtri coetus Saxonici, anno ſequenti diligentisſime hoc argumentum tractauit, quod pontificiis ſcitu neceſſarium, nobis vtile, et periculoſo tempori apprime conſentaneum erat. Exſtat illud typis publicis exſcriptum cum Epigraphe: Der abgewieſene Demas; in quo Pontificiorum artes deteguntur, quibus pias mentes decipiunt, et ad apoſtaſiam ſollicitant, quas more ſuo, hoc eſt, ſolidisſime celeberrimus Vir refutat.

LVII. Alii vero ſuis nuncupationibus aduerſarios ad certamen veluti prouocant, ita, vt, ſiquis eiuſmodi dedicationem aſpici-

aſpiciat, crederet, non eſſe aliud, quam tabulam laceſſariam, et perduellionem, cuius, qui reus eſt, hoſtili animo aduerſus alios animatus cenſetur, teſte Vlpiano Leg. vlt. Dig. ad Leg. Iul. Mai. VALENTINVM SMALCIVM hoc idem in animo habuiſſe, cum Catechiſmum Socinianum, germanice translatum, Racouiae in Polonia CIↃIↃCVIII ederet, ex dedicatione clarisſime intelligimus, quam ad celeberrimam VITEMBERGENSIVM ACADEMIAM direxerat. Ex hiſce ergo auſibus fiebat, vt ſummi eiusdem Academiae Theologi eo tempore ſuam ſententiam expoſuerint, et, remunerationis loco, catechiſmum e diuinis Pandectis ſolidiſſime, et vt vera religionis noſtrae ratio poſtulabat, refutauerint. vide refutationem illius Catechiſmi a Vitembergenſibus Tomo I Conſiliorum Theologicorum inſertam, vbi pag. 661 monetur, catecheſin hanc germanice CIↃIↃCVIII prodiiſſe. Idem quoque patet ex pag. 664, vbi auctores fatentur, eam ſibi iam ante decem annos inſcriptam eſſe, cum ipſi CIↃIↃCXVIII; vt ſubſcriptio teſtatur, refutationem eius in lucem prodire iuberent. Qui autem plura de hoc catechiſmo Roccouienſi ſcire cupit, adeat celeberrimum Abbatem Helmſtadienſem D. Schmidium in peculiari programmate de eodem argumento.

LVIII. Et cui tandem ignotum eſſe poteſt, qua ratione B. D. AEGIDIVS HVNNIVS Caluinum ſuum iudaizantem DAVIDI PARAEO, adiuncta dedicatione, transmiſerit, cuius initium facit e Catulli verſibus, quos ad rem ſuam elegantiſſime tranſtulit, quando infit:

Cui dono lepidum nouum libellum
Caluini oppoſitum ſtrophis nefandis,
Paraeo tibi, namque tu ſolebas
Caluini eſſe aliquid putare nugas.

Quo facto et Hunnius et Paraeus inuicem ſtilo decertarunt, quorum controuerſiae in lucem publicam prodierunt.

LIX. Lutheranos etiam Pontificiis ſcripta ſua dedicaſſe, nemi-

nemini obſcurum eſſe poteſt; quod autem variis rationibus inducti fecerunt. Ex omnibus vero documentis, quae publice proſtant, illud meretur notari, quod B. noſter LVTHERVS LEONI X Pontifici Romano CIϽIϽXX librum, de Chriſtiana Libertate, latine confectum, dedicauerit. In hac notabili epiſtola dedicatoria modeſte loquitur de Pontifice Romano; conqueritur autem de pernicie ſedis Romanae et de impiis fraudibus et conſiliis Cardinalis S. Sixti, ſiue potius Caietani et D. Eckii, rogauit admonuitque Pontificem, vt ne adulatoribus morem gereret, ſed magis exitium et diſcordiam retunderet et coërceret. Sic autem dedicationem inchoat: *inter monſtra huius ſeculi, cum quibus mihi iam in tertium annum res et bellum eſt, cogor aliquando et ad TE ſuſpicere, tuique recordari, Leo pater beatiſſime, immo cum tu ſolus mihi belli cauſſa habearis, non poſſum vnquam tui non meminiſſe.* Sub finem addit: *ne vacuus aduenerim, mecum offero tractatulum hunc ſub tuo nomine editum, velut auſpicio pacis componendae et bonae ſpei, in quo guſtare poſſis, quibusnam ſtudiis ego malim et poſſim fructuoſius occupari, ſi per impios adulatores tuos liceret, et hactenus licuiſſet. Parua res eſt, ſi corpus ſpectes, ſed ſumma, ni fallor, vitae chriſtianae compendio congeſta, ſi ſententiam captes*, et quae ſunt reliqua. adi Luth. Tom. II oper. latin. Eundem vero librum, poſtquam germanice editus erat, inſignis ille Theologus nuncupabat HERMANNO MVHLPFORTO, quem magni faciebat, ipſumque magnis meritis in vtramque rempublicam inclaruiſſe; ſi non aliunde, certe e Chronico Cygn. M. Tob. Schmidii pag. 456 perſpicuum eſt: Hermann Mühlpfort iſt 1521 von Churfürſten ſelbſt in das Bürger-Meiſter Amt geſetzet worden, hat groſſes Anſehen, nicht nur bey denen Bürgern, ſondern bey dem Landes-Fürſten ſelbſt gehabt, und iſt wegen ſeines hohen Verſtandes und groſſen Gaben, auch ſonderlichen Fleiſſes, Unverdroſſenheit und ſtarcken Gemüths im gantzen Lande ein beruffener und geehrter Mann worden. Neben dem iſt er auch ein wohlberedter Mann geweſen, daß ihm das Zeugnis

nis gegeben wird: er habe die Stadt Zwittau bey vielen alten Freyheiten und Priuilegiis erhalten.

LX. Inter Principes eminere etiam aliquos, qui aliis Principibus ſua ſcripta dedicarunt, cognoſcimus e MAVRITIO, Landgrauio Hasſiae, rariſſimo inter Principes eruditionis exemplo, qui quantus fuerit, quam induſtrius in linguis orientalibus, neminem, niſi memoria huius Principis orbatum, poteſt deſugere. Cum enim iuuenis adhuc eſſet, RVDOLPHO II libros ex orientali litteratura dedicabat, quibus iure laudem meretur, vt *amor et deliciae vniuerſi eruditorum orbis* adpellaretur. Cumprimis autem exemplum Ducis FRIDERICI GVILIELMI, Electoratus Saxonici Adminiſtratoris, illuſtre eſt, qui non ſolum artem typographicam didicit, ſed etiam eius cauſſa typos argenteos fundendos curauit, qui peregrinantibus quondam Torgauiae, vt ſingulare, quod etiam omnino fuit, fuerunt monſtrati. Salomo Geſnerus in threnologia Academiae Vitembergenſis eorum meminit, quando infit: *teſtatur amorem Principis erga litterarum ſtudia typographia, quam intra arcem nitidisſimis typis inſtruxit, et quoties per occupationes licuit, crebro inuiſit*. Ipſe Dux incomparabilis librum edidit, eumque Dominis CHRISTIANO, IOANNI GEORGIO et AVGVSTO F.F.F. Ducibus Saxoniae, Landgrauiis Thuringiae et Marchionibus Miſniae, agnatis et pupillis ſuis carisſimis dedicauit, cui nomen inſcripſit: *D. G. Friderici Guilielmi, Ducis Saxoniae, Tutoris et Electoratus adminiſtratoris, exercitationes horarum ſubciſiuarum, in duos libros diſtributae, quorum priore praecepta ad inſtructionem Principis et ciuilem vitam vtilia; poſteriore exempla hiſtorica ad praecipuas doctrinae moralis partes accommodata continentur. Elaboratae Torgae in typographeio principali* CIↃIↃXCVIII. Operae pretium eſſe arbitror, vt ipſam dedicationem hoc loco recenſeam, quae relegi eo magis meretur, quod notatu dignisſima in ſe continet, eamque Amicus mecum beneuole communicauit. Ait vero: *Inter alias et quidem graues curas, quibus in tutela Veſtra,*

dilectisſimi Agnati, aſtringimur, nullum paeterire diem patimur, quo non in lectione bonorum auctorum et ſtudio latinitatis aliquid legamus, ſcribamus aut meditemur. Artium enim et humaniorum litterarum ſtudia, tantum abeſt, vt a nobis aliena eſſe concedamus, vt etiam cuiuis bono Principi ſummo eſſe ornamento eadem cenſeamus. Homines enim cum et ipſi ſimus, cur non in iis ſtudiis, poſt pietatis exercitia, et curas gubernationis, vacemus, quae iuuentutem decent, uirili aetati proſunt, ſenium oblectant? In ea ipſa animi noſtri recreatione, illud Apellis accurate obſeruamus, ne dies ſine linea. Tanta enim vis eſt diligentiae et exercitationis, vt nihil ſit, quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura: et ex aduerſo nihil tam alte in animo et corpore defixum atque impreſſum, quod non paullo diutius infrequentatum, conuelli aut certe labefactari poſſe videatur. Verum enimvero cum inter euoluendum bonorum auctorum ſcripta, nuper incidiſſemus in librum, titulo Faſciculi hiſtoriarum lingua vernacula editum, et is propter multifaria exempla, atque annexas admonitiones nobis mirifice placuiſſet, eumque ex vſu veſtro futurum iudicaſſemus: conſilium cepimus eundem totum latinitate donare. Cum enim in hac tutelaria noſtra adminiſtratione ſcopus hic nobis ſit propoſitus, quo aſſueſiatis, vt vitia fugiendo, virtutem aſſequamini, atque materiam hanc inſtituto noſtro ſatis aptam eſſe viderimus, placuit in Veſtri vſum hoc laboris ſuſcipere, et maiorem partem libri latinis verbis exprimere. Reliqua de auctoribus vnde depromta, et in Germanicam linguam transfuſa erant, omisſis paucis quibusdam, transſcribi iusſimus. Illud omne, quemadmodum in primis ex paterno amore in vſum ſtudiorum Veſtrorum, quibus iam intenti eſtis, a nobis profectum eſt: ita et veſtrum eſſe hunc laborem noſtrum volumus, paterne hortantes, vt non modo Vobis et toti rei publicae ſalutaria ex iis animis recondatis; verum etiam bonorum exempla imitando, peruerſorum vitando, iuſta veniente aetate in bonos prudentesque Principes et Patres patriae euadatis, atque vt haec noſtra ad maiora Vobis ſint incitamento. Placet enim nobis, vt libris non minus, quam reliquo principalis educationis aulae-

que

que ornatu vos oblectantes, in complexu, oculis, auribus habere adſueſiatis auctores eos, ex quibus nihil cognoſcatis, niſi profuturum, nihil diſcatis, quod neſciuiſſe rectius fuiſſet. Inde tutelae noſtrae curae et moleſtiae nobis longe erunt leuiores; illuſtrisſima Mater Veſtra ſumme laetabitur; vosmet ipſi Deo et hominibus accepti in patriae ornamentum feliciter adoleſcetis, et conſilii noſtri ductum mature ſecutos fuiſſe, Vos aliquando non poenitebit.

LXI. Quamuis quidem eorum exempla vidimus, qui viris libros conſecrarunt; ſuperſunt tamen etiam ei, qui ſcripta ſua feminis dedicata voluerunt. Hunc autem morem antiquitus etiam in vſu fuiſſe, M. TER. VARRONIS exemplum teſtatur; qui libros III de re ruſtica FVNDANIAE adſcripſit. Sed de eo diſſerendi locus non eſt. De IVSTO LIPSIO, qui, ſententia Camerarii in hor. ſubciſiu. part. I, vir ſolida eruditione et eximio iudicio fuit, recenſetur, quod non ſolum libros, ſed calamum quoque his verbis MARIAE dedicauerit: *Hanc, Diua, pennam interpretem mentis meae, hanc pennam tibi nunc, Diua, merito conſecraui Lipſius. Nam numine iſthaec incboata ſunt tuo. Porro benignitatis aura perpetim haec ſpiret, et famae fugacis inuicem, quam penna peperit, tu perenne gaudium, vitamque, Diua, Lipſio pares tuo.* adi Aubertum Miraeum, qui eius vitam deſcripſit, et principio ſuorum operum extat. Praeter inconſtantiam vero in religione, ei etiam ſuperſtitio indecora exprobratur, cum in duobus libris, quorum alter D. virgo Hallenſis; alter autem D. virgo Sichemenſis, vel Aſpricollis inſcribitur, omnia miracula congeſſit, et pro veris venditauit, quae imagini et ſtatuae virginis Mariae incertis traditionibus attribuuntur. Vnde eſt, quod eruditi, Caſaubonus praeſertim, epiſt. CCCCXLIV, et Scaliger epiſt. CXX in hoc viro animi leuitatem et manifeſta incredibilis ſuperſtitionis indicia culpauerint.

LXII. Quia vero de libris ſermo eſt, quos eruditi viri Mariae dedicarunt, nihil impedit, quo minus etiam GEORGII

Digitized by Google

AMBIANI, doctiſsimi monachi mentionem faciam. Hic enim Tertullianum edebat, eiusque tomum primum Virgini MARIAE conſecrabat, hac vtens formula: *Ipſum me, hoc quod ſum, et poſſum, hoc quicquid ingenii et ſtili eſt, tibi, o Deipara, debeo, reddo, offero. Suſcipe, quod tuum eſt, excipe, quod meum: vt iſtud ſupprimatur, iſtud non chartis ſolum, imprimatur, ſed etiam animis. Duc me, quo lubet, o Domina, clientem ad pedes proſtratum reſpice, et ad collum tandem erige! Amen.*

LXIII. Ceterum BOHVSLAVS ALOYSIVS BALBINVS, Ieſuita, Diuam VVartenſem, ſeu deſcriptionem imaginis Mariae in comitatu Glacienſi VVartae Pragae CIƆIƆLV edebat, eamque D. MARIAE dedicauit, eam idololatrico more nominans *theſaurum Trinitatis, fundatricem eccleſiae, reparatricem generis humani, epitomen excellentiarum Dei, VVartenſem Veſtam.* Auctor eam pag. 109 ita alloquitur: *Aue Maria, non mater modo, ſed Chriſti Pater,* acclamatque ei: *quia libro vitae proxima ſedes, nomen noſtrum inſcribe.* de qua videantur Reuerendi Auctores der Unſchuld. Nachrichten An. 1711 pag. 576.

LXIV. Cum FRANCISCVS BILLONIVS, Scriba ſeu Secretarius Guilielmi de Bellay, vti Baylius autumat, librum in lucem ederet, qui inſcriptus erat: *Le fort inexpugnable de l' honneur du Saxe feminin*, dedicabat eum CATHARINAE DE MEDICIS, aliisque principibus ſexus ſequioris. In eo autem auctor verba nugatoria profert, ad ineptias ambit, et ſententias tulit, quae monſtri aliquid alebant, inprimis cum Prophetarum comparationem fecerit cum ſecretariis Regum Galliae.

LXV. IOANNES BAPTISTA MARINVS, poëta ſuo tempore clariſsimus, lyra ſua, quam publicauerat, multum laudis promeruerat, quae autem magis augebatur, cum Adonidem in lucem ederet. Reges enim et Principes huius poëtae ingenio delectabantur; maximeque a Carolo Emanuele, Duce Sabaudiae, liberaliter habebatur. Poſtea vero factum eſt, vt, neſcio quo fato, gratia huius Ducis excideret, eiusque

manda-

mandato in carcerem coniiceretur. Quo cum liberatus eſſet, in Galliam ſe recipiebat, et Adonidem ſuum Reginae CATHARINAE DE MEDICES dedicabat, a qua in mercedem nobiliſſimi operis centum accepit florenorum millia. Haec et alia de Marino refert Cornelius Tollius in libello de infelicitate litteratorum, quem vna cum aliis eiuſdem argumenti celeberrimus Ioannes Burchardus Menckenius in emolumentum rei litterariae Lipſiae CIↃIↃCCVII coniunctim edidit.

LXVI. VALERIVS HERBERGERVS, de coetu Chriſtiano bene meritus Vir, et ſcriptis Theologicis ad vitam bene agendam clarisſimus, edebat librum, cuius erat titulus: das Pſalter- Paradieß, eumque ANNAE, virgini Principi Sueciae conſecrabat. Verba, quibus vtitur in deſcriptione dedicationis ſuae, notatu dignisſima ſunt, quae ita erant concepta: *Valerius* Herberger, welcher ſich von Hertzen nach den Worten JEſu ſehnet: Heute wirſt du mit mir im Paradieß ſeyn.

LXVII. E ſequiori ſexu ſunt etiam eruditae feminae, quae Regibus ac Principibus libros ſuos dedicarunt. E pluribus nominanda eſt doctisſima IVSTITIA SENGERS, quae quamuis coeca eſſet nata; egregiis tamen animi dotibus ad ſummam doctrinae litterarumque elegantiam et amoenitatem perueniebat. Studio autem ſanctioris doctrinae inſigniter delectabatur, vnde fiebat, vt interpretationem Pſalmi LXIX ederet, eique nomen praeſcriberet: des Heiligen Geiſtes Beſchreibung vom Leiden und Sterben unſers HErrn JEſu, quem librum FRIDERICO II Danorum Regi dedicabat. vide Ph. Iul. Rethmeyeri Antiquit. Eccleſ. Brunſu. part. III cap. VIII.

LXVIII. Quamuis vero quotidie accidat, vt filii ſuis Parentibus ſcripta ſua, e filiali obſeruantia, conſecrent: quemadmodum cordatisſimi Theologi, D. HVLSEMANNVS, D. CARPZOVIVS Senior, M. KETTNERVS Sacerdos quondam Lipſienſis, aliique complures libros *matribus* ſuis dicarunt; ii ta-

ii tamen prae aliis laudem merentur, qui, quoniam infimo et tenui loco nati ſunt, ſuae originis Parentumque meritorum non obliuiſcantur. Hoc enim ad eruditionem nihil valet, quo quis loco, et quibus parentibus natus ſit, cum ea omnes cultores admittat, neminemque reſpuat. Plus certe artis eſt, e caſa prodire et ſuo ingenio emergere, quam omnibus ad eruditionem conſequendam opibus et mediis inſtructum eſſe, quibus heroum filii abundant; qui tamen id ſaepius non addiſcunt, quod ad praeclaram mentem conducit. M. GEORGIVS CRATZSCHIVS, Paſtor in dioeceſi Luneburgenſi, erat filius ruſtici. Tantum vero aberat, vt eum ſuae originis ſuppuderet, vt potius patri ſermonem ſacrum dedicaret, quem coram populo die Palmarum feſto habuerat, et beneficia in eo ampliſſimis verbis ornat, quae a ſuis parentibus acceperat. Dedicationis formula erat haec: Dem Erbaren und wohlbenamten George Cratſcher, Bauersmann zu Oßig im Stifft Zeitz in Meiſſen gelegen, Meinem hertzlieben Vater.

LXIX. IOANNES DENHAMVS Dublinenſis, non praetereundus eſt, quem eius pater Oxonium miſerat, vt litterarum ſtudiis operam daret. Is vero res ſuas negligenter agebat, de luſu magis, quam de cultura ingenii ſollicitus: quod quum parens cognoſceret, exhereditare eum volebat. Quo facto pollicebatur, ſe hoc vitium honeſtis virtutibus eſſe emendaturum. Deſiſtebat etiam a luſionibus, et vt ei maior fides poſſet haberi, edebat libellum contra luſum, eumque *parenti* dedicabat. VVood. in Athen. Oxonienſ. videatur. Defuncto autem patre ad priſtinam ludendi conſuetudinem redibat, et multa millia thalerorum perdebat.

LXX. Exempla vero patrum, IANI CORNARII, qui medicinam ſiue medicum DIOMEDI filio ſuo inſcripſit; prae ceteris IVLII CAESARIS SCALIGERI laudanda exiſtimamus, qui filiis ſuis libros dedicarunt. Cum enim vir ille doctiſſimus librum

librum de cauſſis latinae linguae in lucem ederet, nuncupabat illum filio ſuo SYLVIO CAESARI, vt exinde ſe confirmaret, nec in maiores diſciplinas, vt ſaepe accidit, illotis manibus inuolaret. Poſſemus quidem alios eruditos longius repetere, maxime, quae contigerunt Ciceronis aetate, ſed ad tempora, quae non adeo remota ſunt, animum tantummodo aduertimus. Sic quoque D. NICOLAO TVLPIO viſum erat, vt obſeruationes ſuas medicas filio PETRO, Medicinae Doctori inſcriberet. Et quantum e Becmanni Notitia Vniuerſitatis Francofurtanae intelligo, MATTHIAS HOSTVS, qui in eadem Academia ſupra quinquaginta annos Graecam linguam publice profeſſus eſt, dedicauit vnicuique *filio* et *generis* peculiare aliquod ſcriptum, cum eis non poſſet amplam hereditatem relinquere. D. GEORG HEINRIC. GOEZIVS, Vir praeclaris in rem litterariam et ſacram meritis perſpicuus, ante aliquot annos ſchediaſma de puero decenni dedicabat filio ſuo egregiae indolis GOTHOFREDO CHRISTIANO; vt ne plura commemorando B. L. fatigemus.

LXXI. Neque deſunt filiae, quae matribus ſuis libros dedicarunt, quarum exempla, cum non tam vberrima copia proſtent, eo maiori quoque ſtudio colligenda et enotanda ſunt. ELEONORA MAGDALENA THERESIA, Sereniſſima Imperatrix vidua, libellum e Gallica lingua in ſuam transferebat, qui chriſtianas cogitationes ſingulis diebus accommodatas in ſe continebat, eamque verſionem Sereniſſimae *Matri* conſecrebat. Dedicatio ſane notatu digniſſima eſt, in qua Auguſta matri pro educatione gratias agit. Die Fürſtmildigſte Hulde, und Mütterliche Gnaden, indem Ew. Durchl. mich gnädigſt erzogen hat, erinnern mich alle Stunden des Tages, alles, was in und an mir iſt, in ſchuldigſter Erkäntniß Ew. Durchl. unterthänigſt zuzumeſſen.

LXXII. Coniuges etiam ſibi inuicem libros dedicauiſſe, mani-

manifeſtum eſt. Praeter alia documenta, quae recenſenda eſſent, in mentem mihi venit BALTHASAR BEKKERVS, qui Mundum Faſcinatum de betoverde Wereld *coniugi* ſuae conſecrabat. Singularis eſt illa epiſtola dedicatoria, quam auctor excultis ac nitidisſimis verſibus expresſit, eamque mundo faſcinato praemiſit, in qua laudat amorem integerrimum vxoris ſuae, eique, vt de ſuo mutuo quoque conſtaret, hunc librum, ingenii ſui foetum et *infantem*, quemadmodum ipſe appellat, *chartaceum* obtulit ac dedicauit. Sic autem dictam dedicationem exorditur: Brief van D. Balth. Bekker aan ziin Huysvrovv, FROVK FVLLENIA.

Hertlive ſeer getrouvve
Vernoegde deel genoot in voorſpoed als in rouvve,
Veelvvaarde Moeder van tvvee Dochters, eenen Soon;
En paerel aan het goud van ons drie dobble Kron.
Magh dit Papiere - Kind U me voor Moeder groeten;
Ik geef tu in den arm, etc.

De hoc Balthaſare Bekkero, et motibus ab eo excitatis eruditam habet obſeruationem CL. Michael Lilienthal in Selectis Hiſtor. et litterat. obſ. II. Quantum vero memini, haec dedicatio in aliis editionibus ac verſionibus praetermiſſa eſt. Contingit nonnunquam, vt eae omittantur, quo autem caſu et conſilio id fiat, praeſertim, ſi libri prelo iterum ſubiiciuntur, omnium cauſſas diuinare non poſſum. Hoc autem negare non poſſum, quod earum neglectu auctores haud raro in ſuſpicionem plagii litterarii incurrere queant. Quod dum cogito, idem fere D. HENRICO MVLLERO acciderat, cuius liber Der himmliſche Liebes-Kuß dictus, in ceteris editionibus, quae denuo in lucem publicam prodibant, ſine dedicatione et praefatione, excutiebatur; id quod viris doctisſimis mirum

rum viſum eſt. Vnde eſt, quod aliqui opinati ſint, noſtrum Mullerum ex Anglorum ſcriptis ſuum compilaſſe, eique nouum nomen praeſcripſiſſe. In prima vero editione, quae CIƆIƆCLIX lucem aſpexit, conſpicimus dedicationem ad AVGVSTVM, Ducem Brunſuicenſem et Luneburgenſem, quam vna cum laudatiſſima praefatione Reu. Auctor. Relat. innox. CIƆIƆCCV pag. 74 dignam cenſuerunt, vt integram dicto loco exhibuerint.

LXXIII. Publicum concordis animi ſignum eſt, ſiquis collegae et fautoris nomen clarisſimum ſuo libro praeſcribit, in foedus amoris et nunquam ceſſaturae amicitiae. DANIEL GEORGIVS MORHOFIVS, bonarum litterarum conſeruator, cum Statorem ὑαλοκλάστην, ſeu diſſertationem de ſcypho vitreo, per certum humanae vocis ſonum fracto, in lucem emitteret, dedicabat eam IOANNI DANIELI MAIORI, celeberrimo Medico et collegae in Academia Kilonienſi exquiſitisſimo, quam lucubrationem tam beneuole ſuſcipiebat, vt eo pignore amicitia magis in dies firmaretur.

LXXIV. Illud quoque adiicimus, quod Praeceptores fuerint, qui libros diſcipulis fidei ſuae concreditis nuncuparunt. Longum foret, omnia eorum documenta proferre, qui amore in eos ducti, hanc dedicandi conſuetudinem ſecuti fuerunt. Alii vero diſcipulis, qui iam ſcholarum ſpatia emenſi ſunt, libros dicarunt; cuius rei exemplum mihi ſuccurrit IACOBI CVIACII, qui Codicem Theodoſianum IOANNI REHDINGENIO inſcripſit. Alii ex aduerſo dedicarunt ſcripta diſcipulis, qui in ſcholis adhuc verſantur, inſtitutioneque in bonis litteris et ſapientiae ſtudio fruuntur. CHRISTIANVS VVEISIVS, quum profeſſorem ageret in illuſtri ad Salam Auguſteo, dedicabat lectionem Nouellarum ſuis *Auditoribus*, et poſtquam gubernaculis Gymnaſii Zittauienſis admouebatur, nuncupabat eisdem doctrinae ſuae alumnis cogita-

 tiones,

Digitized by Google

tiones, aut potius die curiöſen Gedancken von der Imitation, eamque nuncupationem hoc voto concludit:

GOtt laße mich ſo lang in meinem Amte bleiben,
So lang ich tüchtig bin, zu reden und zu ſchreiben,
Doch ſoll ich mit der Zeit im Alter nicht beſtehn,
So laß er mich alsdenn getroſt zu Bette gehn.

LXXV. Viuos etiam mortuis ingenii ſua opera dedicaſſe, inuenimus, quod quamuis mirum nonnullis videatur, et ſupra conditionem famae nominisque alii poſitum eſſe iudicent; tamen nec illud ignoratur, magnum defunctorum deſiderium amoremque relictum eſſe in animis amicorum vitae ſuperſtitum, vt eius recordationis cauſſa memoriaeque, dedicationes eius generis, vituperationem non mereantur. CASPAR ZIEGLERVS non erubuit diſſertationem ſuam Iuſtinianeam de Clerico non retinente, ſiue muneris Eccleſiaſtici fuga, memoriae ſempiternae D. MARTINI GEIERI inſcribere, qui in praefatione ad lectorem merita et egregias uirtutes tam incomparabilis Theologi recenſet, et ſub finem addit: *haec volui, ne neſcires, B.L. et vt rationem haberes, cur beatiſſimi viri nomen heic videas praefixum.* Neque alia ſententia fuit Magnifici VALENTINI ERNESTI LOESCHERI, viri celeberrimi, quum hiſtoriam dictam Das Römiſche-Huren-Regiment der Theodorae et Maroziae Lipſ. CIↃIↃCCV ederet, eamque memoriae Virorum magni nominis D. GEORGII FRANCKII AB FRANCKENAV et D. FRIDERICI KRAVSOLDI dedicaret. Vtitur vero laudatiſſimus Vir in praefatione his verbis: Ich habe ſchlüßlich dieſes Werck dem theuren Gedächtniß zweyer in GOtt ruhenden hochwerthen Männer widmen wollen, welche der HErr des Lebens aus dieſer Sterbligkeit abgefodert hat, ehe ich meinem gehabten Vorſatz nach, durch gewöhnliche Zuſchrifft eines Buches ihnen mein ergebenſtes Hertz bezeugen können.

LXXVI.

LXXVI. In dedicationibus etiam, quod ad honorum vocabula attinet, auctores librorum ambitioni imperantium et adulationi magis, quam receptae conſuetudini, tribuere videntur. Miramur *litterati cuiusdam* auſus, qui cum diſſertationem Argentorati de Orbe terraqueo proponeret, Regis Gallorum gloriam cumulatiſſime auctum iri cenſebat, ſi eam *Deo Regique* inſcriberet. Verba haec ſunt: *DEO omnipotentiſſimo, et Regi Galliarum omnipotenti.* Ex quibus haud obſcure intelligendum eſt, inſciente moderatore reſpondentem hanc dedicationis formulam exprimendam curaſſe, quam quum Profeſſores eiusdem Academiae animaduerterent, aegre ferebant conatum huius hominis, eumque notante Io. Friderico Pfeffingero, Equeſtris Academiae Luneburg. Inſpect. et P.P., ad Vitriarium lib. III ſect. XII mognopere reprehenderunt.

LXXVII. Si Pontificem Romanum intuemur, cui libri dedicantur, exſtupeſcimus titulos, quibus eum adſeclae compellant. Ipſe ſe nominat *ſeruum ſeruorum* *; adulatores vero eum appellant Chriſti vicarium, Petri ſucceſſorem, vniuerſi terrarum orbis Magiſtrum, Regum Patrem, Leonem e tribu Iuda, qui in his terris coeleſte regimen adminiſtraret. MATTH.

* In Io. Henr. a Schoenau conſiderationibus, ſeu potius Betrachtungen über die geheimen Fürbilder der 6 Tage der Welt Erſchaffung pag. 83 obſeruatur, quod Papa ſe nominet ſeruum ſeruorum, quia originem haberet ab illuſore Chamo, cui hic titulus Geneſ. IX, 25 tribueretur, et cum annulo piſcatoris (nam vox ebraea ſignificat piſcatorem) ſignaret, qui erat praecipuus inter paſtores peruerſi Sauli. Et cum illitteratus Sacerdos, cui nomen erat Clemens ex ordine Minorum, ab Antiſtite interrogaretur, cur Pontifex ſe vocaret ſeruum ſeruorum? quia, reſpondebat, in mundo *profitum ſuum* habet: id quod et reliqua in chronico cœnobii Virginum Otbergenſi extant ad Annum CIϽCCCXCVI ſect. LXVI Syntagm. Paul.

PRAETORIVS, ille apoſtata, Coloniae edebat Tubam Pacis, eamque *Pontifici Romano*, *Imperatori*, *Regibus Galliae*, *Angliae*, *Daniae*, *Sueciae*, *Poloniae*, *Electoribus Saxoniae et Brandenburgi*, *Principibus reliquis et liberis Imperii Ciuitatibus* dedicabat; maxime autem ROMANO PONTIFICI, cui fatetur, quod omnes Theologi Regiomontani illius temporis ore pleniſſimo ei vniuerſum Eccleſiae regimen attribuiſſent. O inſignem mendicum et adulatorem egregium! THOMAS MARIA CARAFFA, e Societate Ieſu nominat PAVLVM V Pontif. Rom. *Vice-Deum*, cui ei chiliadem theſium conſecrabat. Hac inſcriptione vſus eſt. *Paulo V Vice-Deo, chriſtianae reipublicae Monarchae inuictiſſimo et pontificiae omnipotentiae conſeruatori acerrimo.* Quae quum Guilielmus Bedellus, qui Venetiis eo tempore commorabatur, animaduerteret, ea re magnopere commouebatur. Rem uerbis CL. auctorum Actor. Eruditorum CIↃIↃCLXXXVI pag. 244 enarrabimus. *Noſter*, inquiunt, *hac offenſus pro egregia, qua pollebat, animi praeſentia, mox e primis litteris dictae inſcriptionis verbis, ope litterarum numeralium eruit numerum beſtiae Apocalypticae* DCLXVI. *Id cum amico Sarpio communicaſſet, atque hic tanquam rem omine non carentem ad Ducem et Senatum pertuliſſet, tantum, prout facies iſtorum temporum erat, applauſum meruit, vt non ſolum vbiuis per territorium Venetum ſuggeſtu paſſim id perſonaret, ſed et idem rumor Italiam reliquam, aliaque loca late peruagetur: ad quam tanto citius reprimendam Pontifex dicitur vbique per emiſſarios ſuos tum diuulgaſſe, Anti-Chriſtum nuper Babylone in lucem editum eſſe e tribu Dan, et iam in eo occupatum, vt vaſto exercitu collecto Chriſtianos debellaret, curandumque adeo horum principibus eſſe, vt copias aduerſus tantam inuaſionem paratas haberent: conſultum ita iudicans, hac fabula famam ex intempeſtiui adulatoris nugis periculoſe ſubnatam diſſipare, priusquam latius ſerpens grauiora ſedi Romanae incommoda cieret.* IOANNES MARIA LAN-

CISIVS

CISIVS, intimus cubicularius et archiater Pontificius tabulas anatomicas Bartholomaei Euſtachii e denſisſimis tenebris eruebat, easque Romae cIↄIↄccxIV publici iuris fecit. Quod autem nunc hae tabulae in eruditorum conſpectum iterum prodeant, acceptum refert Clementi XI Pontifici R. eumque in dedicatione *Apoſtolicam Maieſtatem* nomine, plus ſolito, adpellat. Ipſa Lancifii verba recitemus, qui ita infit: *bibliothecam hodie, beatisſime Pater, in publicum dedicaturo nihil mihi gratius feliciusque obtingere poterat, quam vt illa, dum primum ſtudioſorum commodis patet, ſimul etiam auguſtisſima Tuae Apoſtolicae Maieſtatis praeſentia et ſplendore illuſtretur.* Ita vero in attribuendis honorum nominibus verſandum eſt, vt neque a receptisſimo vſu deflectamus, neque noſtro ingenio abundemus. Non eſt noſtri ſeculi, vt *Regem* appellemus *clarisſimum*, quamuis Sebaſtiani Caſtellionis exemplum in medio poſitum ſit, qui in dedicatione quadam *Eduardum VI* Regem Angliae compellauit. vide Io. Chriſtiani Langii, Profeſſores Gieſſenſium clarisſimi ſchediaſma de eo, quod eſt moris nouisſimi in re publica litteraria, ſiue von der neueſten Mode bey der gelehrten Welt cap. I ſect. VI.

LXXVIII. Miras et inuſitatas etiam dedicationes inuenimus, quas qui videt, temperare ſibi non poteſt, quin eiusmodi hominum conatus et conſilia demiretur. CASPARVS SCHOTTVS cum Thaumaturgum Mathematicum, qui tomum tertium conficit de Magia vniuerſali naturae et artis, Herbipole A. cIↄIↄcL luci publicae exponeret, eum *angelo ſuo tutelari* nuncupauit, propter ea, quod eius praeceptor Athanaſius Kircherus ei concedere noluiſſet, vt ipſi Thaumaturgum dedicaret. Atque is tamen in epiſtola, quam ad Kircherum exarauit, eamque huic operi praefixit, his verbis vtitur: *ſe vereri, ne idcirco praeceptor dedicationem vehementer recuſauerit, quia dicendi et rerum genus leue et non ſatis*

ſe

ſe dignum iudicaret. Sed auctor longe aliter de ſuo labore ſentit in praefatione ad lectorem, quem laudat tantopere, et in coelum extollit, vt vel cum Hieronymo Cardano ſtatuat, ſua inuenta eſſe talia, quae a nullo potuerint inueniri: vel cum Abaelardo, qui ſe ſolum ſupereſſe in mundo philoſophorum exiſtimet; aut cum Agathocle peripatetico, ſe ſolum et primum eſſe omnium dialecticorum. Noſter autem ait: *admirandorum Mathematicorum Gymnaſium aperio, in quo omnium fere mathematicarum, hoc eſt, admirandarum diſciplinarum non prima elementa, nec vulgaria documenta, ſed abdita miranda, et fere magica inuenta curioſarum artium indagatoribus Mathematumque amatoribus et candidatis, quibus haec ſcribo potisſimum, propono.*

LXXIX. Nihil autem nobis obſtare exiſtimamus, quo minus de Quackerorum dedicationibus aliquid commemoremus. Quum autem tota eorum doctrina inſolitum quoddam, et in ſacris litteris minus fundatum ſpiret, non poteſt aliter fieri, quin dedicationes librorum de miris eorum ingeniis et phantaſmatibus teſtentur, et cordatioribus Euangelicae doctrinae cultoribus indignationem moueant. Longum eſſet, hoc loco omnia inſcriptionum genera recenſere, quibus maculam ſibi aſperſerunt: nobis autem notisſimi illius Quackeri in Anglia VILLIAM AMES dicti, exemplum ſufficiat, qui librum edidit: Die Sache Chriſti und ſeines Volcks Gerechtigkeit. Dedicauerat hoc ſcriptum FRIDERICO GVILIELMO, Electori Brandenburgico, eumque ita alloquitur: Freund, ob ich mich ſchon ſolcher heuchleriſchen Titel gegen dich nicht gebrauche, als gemeiniglich gegeben werden von denen, die die Freundſchafft dieſer Welt ſuchen, und heucheln ümb ihres eigenen Vortheils willen; dennoch iſt mein Wundſch, daß Wohlfarth und Glückſeligkeit dir mögen beſtändiger werden. Solches aber wird durch kein ander Mittel erhalten, als durch die War-

heit

Digitized by Google

heit den HERRN JEſum Chriſtum, den Weg zu den ewigen Frieden, auf welchen dir gebühret zu wandern; confer, ſi lubet, B. Io. Bened. Carpzouii Lehr- und Lieder-Predigt. part. II pag. 1690 ſq. Quackeris enim in more poſitum eſt, vt Reges ac Principes non maioris pretii aeſtiment, quam inferioris ſortis homines. Haec, et alia ad eorum ritus facientia, intelligimus e ſumme Reu. D. Friderici Erneſti Meiſſii ſcripto, Entwurff der Kirchen-Ordnung und Gebräuche der Quacker, qui omnium clariſſime de eis ſcribere potuit, cum in Anglia CIƆIƆCLXXXVII. Londini ad tempus in domo huiuscemodi hominis commoratus ſit.

LXXX. Sed haec hactenus: de aliis dedicationibus diſſerendum breuiter eſt, quae quamuis ridiculae videantur; eis tamen auctores conſilium non contemnendum plane, in animo habuerunt. Ita enim SCARONIVS, ingenio valens et acutiſſimus ſatyricus opuſculum quoddam *cani* ſuo dedicauerat. Similique modo ANTONIVS FVRETIERIVS *Ioanni Guilielmo, carnifici* Pariſienſi librum inſcribebat. v. Richelet les plus belles lettres des meilleurs Auteurs pag. 163. Hi vero ſcriptores, dum hoc fecerunt, inepte eruditos perſtringere voluerunt, qui dedicationibus ſuis aliorum gratiam aucupari, et formulis adulatoriis, quibus vſi ſunt, opes acquirere geſtierunt. Vt taceam, quod illi ad commendationem ieiuni ac exanguis libri nominibus ſummorum virorum miſere abutantur.

LXXXI. Vltimo loco non obliuiſcamur cuiusdam *Nobilis*, qui exiſtimauit, Senecam tempore Henrici IV Galliarum Regis vixiſſe, propterea quod ipſius nomini hic auctor inſcriptus ſit. Ridiculum autem eſt, quod ſuam ſententiam tueri voluerit ipſa libri dedicatione, quamuis doctiſſima quaedam Gallicae gentis femina ei errorem et manifeſtam falſitatem commonſtrauerit. Non indigna ſunt verba, quae

e libro, lettres hiſtoriques et galantes par Mad. de C*** dicto, tom. III pag. 328 plenius adſcribamus. *Un fort joli Cavalier me voulut prouver un jour, que Seneque etoit contemporain de Henri IV, et pour me convaincre de cette verité, il alla chercher les oeuvres de Seneque dediées à ce Prince, et me montrant l'Etiquette, liſez, dit-il, n'eſtce pas là Seneque? liſez en ſuite, au Roi Henri IV. Que repliquez vous à cela? j'eus beau lui dire, que c'etoit une traduction de cet Auteur, que l'on avoit faite pluſieurs Siècles apres ſa mort, il n'en voulut rien entendre, et croiant ſon argument ſans replique, il me rit au nez: tout ce que vous dites là ſont paroles, ajouta-t-il, je vous ai fait voir la preuve par ecrit, et vous devez en etre convaincuë.*

CORRIGENDA.

Pag. 16 verſu 11 indignabatur, & verſu 18 latebras. p. 18 v. 32 VVurtembergico. p. 26 v. 18 factum indignabantur. p. 30 v. 14 nobiliorem, et verſ. 15 odit. p. 31 v. 3 dedicari. p. 34 v. 6 cui. p. 36 v. 22 eum. p. 41 v. 1 laceſſoriam, et v. 19 Racouienſi. p. 46 v. 11 CIƆIƆCCLV. p. 49 v. 15 conſpicuus. p. 54 v. 15 dum. p. 55 v. 18 Profeſſoris.

F I N I S.

CON-

CONSPECTVS RERVM.

Veterum conſuetudo in dedicationibus librorum, I.
In primis Latinorum, II.
Qui e recentioribus nemini librum inſcribere voluerunt. Baylius, III.
Spinoza, IV. *Vietorius*, V.
Cellarius ſe excuſat, cur? VI.
Dedicandi morem ineptum iudicat VVovverus. Riuius contrariae eſt ſententiae, VII.
Qui dedicationibus neque honores, neque praemia quaeſiuerunt. Gruterus, VIII. *Zaſius*, IX.
Qui magis reſpexerunt quaeſtum, quam laudem. Lubinus, X.
Circumſpiciunt dedicationum remuneratores. Hotomannus, XI.
Impetrant praemium, quod auctoribus non ſatis amplum. Coeleſtinus, XII.
Aſtu rem tractant, et librorum nomina immutant. Puteanus, XIII.
Quos opinio largae remunerationis fefellit. Becherum, XIV. *Ciampinum*, XV. *Gazam*, XVI. *Iuſtinianum*, XVII.
Qui accepiſſent praemia, niſi fata interueniſſent. Eraſmus, XVIII.
Qui dona impetrarunt. ex improuiſo. Mullerus, Loſſius, XIX.
Merula, XX. *VVolſius, Xylander, Rutgerſius, Scaliger, Hanckius, Capellanus*, XXI.
Sabeus, Panuinius, Appianus, XXII. *Kuſterus*, XXIII.
Qui dignitatis gradum conſecuti ſunt, Auantius, XXIV. *Fraſcata*, XXV. *Iouius*, XXVI. *Pantaleon*, XXVII.
Qui equeſtrem dignitatem obtinuerunt. Franczkius, XXVIII.
Principes ſua manu ſcribunt, et gratias agunt auctoribus pro dedicat. Fridericus, Mullero, XXIX.
Carol. Ludou. Pufendorfio, XXX.
Fata experiuntur. Habichhorſtius, XXXI. *Iunius*, XXXII. *Dodvvellus*, XXXIII. *Raslerus. De Franc. Iunio, et de Anonym. nouo homine dicto, circumſtant.* XXXIV. *Vetterus*, XXXV.
Sunt ingratae dedicationes. Gentilis. De fato VVerdenhagenii, XXXVI. *Monachorum Colonienſ.* XXXVII. *Arioſtus notatur*, XXXVIII.
Viris excellentibus auctores ſcripta dedicant, vt inclareſcant, XXXIX.
Typographum adeunt, vt is auctori ipſi ſuum librum nuncupet, Schottus, XL.
Alius auctori ipſi dedicat librum. VVeiſius, Balbino, XLI.
Fatum Schmidii adfertur, XLII.
In dedicatione multum de ſe gloriantur. Ker. Modeſtus eſt Modius, XLIII.
Amicitiae cauſſa fiunt dedicationes. Petrarcha ad Cabaſalium, XLIV. *Duumius ad Buchnerum*, XLV. *Eraſmus ad Morum*, XLVI.
Vt nonnunquam alter alteri amico innoteſcat. Valeſ. Peireſcio, XLVII.

Nonnulli

Digitized by Google

Nonnulli auctorem praeter meritum extollunt. Franſc. Philip. de Leyden, XLVIII.

E grato animo dedicant libros. Hortenſius, XLIX.

Menagius, Reineſius, L.

Dedicationibus Muſagetis ſe clientes commendant. Perionius, Iodocus, Clitouaeus, Vatablus, Grotius, LI.

Rappoldus, LII.

Auguſto dedicatur Terentius a Fabricio, quam ob cauſſam? LIII.

Dedicationibus fit, vt Patroni omnia ſcripta alterius publicari iubeant. Collaltus Parthenii, LIV.

In dedicationibus alii alios ad edenda ſcripta admonent. Cornarius Aurogallum, LV. Iaegerus Loeſcherum, LVI.

Smalcius dedicat catechiſmum Socinianum Academiae Vitembergenſi, LVII.

Hunnius Paraeo, LVIII.

Lutherus Leoni x. Pontif. Rom. LIX.

Principes dedicant libros principibus, LX.

Viri ſcripta dedicant ſexui ſequiori. Lipſius, Mariae, LXI.

Ambianus, Mariae, LXII.

Balbinus, Mariae, LXIII.

Principibus feminis dedicant libros. Billonius, Cath. de Medices, LXIV. Marinus, eidem, LXV. Herbergerus, Annae, LXVI.

Feminae eruditae dedicant libros principibus, LXVII.

Filii parentibus, LXVIII. Denhamus, LXIX.

Patres filiis et generis, LXX.

Filiae matribus, LXXI.

Coniuges coniugibus. Neglectus dedicationum, LXXII.

Collegae collegis, LXXIII.

Praeceptores diſcipulis, LXXIV.

Viui mortuis, LXXV.

Luxuria tituli in dedicatione ad Regem Galliae, LXXVI.

Ad Pontificem Romanum, LXXVII.

Dedicatio ad genium. Schottus, LXXVIII.

Quacherorum ad Frid. Guil. El. Br. LXXIX.

Dedicatio ad canem et carnificem, LXXX.

Inſcitia cuiusdam Nobilis e dedicatione orta, LXXXI.

VITEMBERGAE
LITTERIS AVGVSTI KOBERSTEINII.

Digitized by Google